

Ad problematicam theologicam in antithesibus fundatam responsa
quaedam generaliora

1. Retinenda est theologia quae est scientia stricte dicta, a subiecto theoretico peracta, circa mundum intelligibilem tractans.

a Nam aliud est solvere et aliud supprimere problema integrationis; omissa scientia stricte dicta, non solvitur sed supprimitur problema.

Omnis enim evolutio est processus quidam differentiationis et integrationis: ubi prius habebatur unum et ~~num~~ confusum, nunc inveniuntur plura et distincta, quae inter se componenda sunt.

Recentissima evolutio ad vitam interiorem et ad mundum immediatum, aspectabilem, modo magis explicito, pleniori, exacto, fructuoso attendit.

Quae tamen integrari debet ~~cum~~ iis quae iam pridem habentur; secus specie progressus, re vera nisi regressio quaedam ad stadium minus evolutum efficitur. Adeo non solvitur ut potius supprimatur integrationis problema.

Quod si quis dicit primaevam ecclesiam theologia dogmatica caruisse, nihil suadetur nisi archaismus (uti ante aliquot saecula a Protestantibus factum est).

b Quod non nullos forte decipit, in eo est quod actuale integrationis problema, non intra mundum intelligibilem per theorematum vel distinctiones solvendum est, sed e contra in ultimis quibusdam antithesibus consistit quae inter se modo radicali mundum interiorem, aspectabilem, intelligibilem separant.

Non solvitur ~~intre~~ ipsum mundum intelligibilem: nam omnis talis solutio esset theoretica; sed problema respicit habitudinem inter theoriam obiectivam, subiectum interius, et mundum aspectabilem.

Sed communius solvitur oscillatione quadam, secundum divisionem temporis, ut nunc magis ad interiora, nunc magis ad practica, nunc at theoretica ~~num~~ convertamur.

Cf. Eccle., 3, 1-8: Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub caelo. Tempus nascendi et tempus moriendi, tempus planandi et tempus evellendi quod planatum est, tempus occidendi et tempus sanandi, tempus destruendi et tempus aedificandi....

c Propter hanc radicalem differentiam, re vera mirum non est quod inter se tam diversa videantur vera religio catholica et ~~num~~ opera theologica stricte scientifica.

Sane descriptio phaenomenologica hominis sancti et theologi eximii duos typos prorsus fere diversos exhibet. Sanctus ita cum Deo occupatur interius ut in omni actione, in omni loquela, spirat bonum odorem Christi. Theologus e contra ita est subiectum theoreticum, ita mundo intelligibili inhaeret, ita normas scientificas in omnibus observat, ut mundanam quamdam sapientiam quaerere videatur.

Quam oppositionem inculcant qui cum Pascal repetunt Deum Abraham, Isaac, Iacob, patrum nostrorum et, alia ex parte, Deum philosophorum; vel qui quaerunt, quis orat motorem immobilem, quis laudat ipsum esse subsistens, quis relationes subsistentes adorat.

At eiusmodi antitheses nisi modo particulari non dicunt quam iam pridem et agnoscamus et docemus existere antitheses.

Qui tamen inde concluderet, seligendum est inter hoc et illud, ut ecclesia vel sanctos habeat et nullos theologos, vel theologos habeat et nullos sanctos, ipsas limitationes naturae humanae agnoscerne non vult.

Talis enim est natura humana ut omnia simul peragere non potest, ut ita perficitur per differentiationes et integrationes, ut tamen ipsae integrationes non sint simultanea quaedam totius perfectionis humanae usurpatio atque fruitio sed successiva et debitibus temporibus divisa.

d Quinimo, ad ipsam perfectionem religionis catholicae pertinet ut theologiam habeat stricte scientificam.

Religio enim catholica ita totam vitam humanam penetrat et ordinat ut non solum sit mundi profani sacrifikatio, non solum sit vitae interioris transformatio, non solum profundum quendam atque continuum influxum in mundum aspectabilem exerceat, sed etiam suam partem, eamque supremam, in ipso ~~mundu~~ mundo intelligibili sibi vindicat.

~~Unde ei olim tam erat quam dicebatur theologia scientiarum regina; hodie, etiam in ipsius disciplinis theologicas ad statum reginae constitutioris recessisse videtur theologia dogmatica.~~

Evidem minime dicerem theologiam dogmaticam novis methodis et disciplinis puper iugantis locum cedere non debere, ~~novum medium omnia conciliandi, exstante ordinandi, integrandi non esse~~

Quem influxum in theoriam, in mundum intelligibilem, nisi pedetentim exercere non incepit ecclesia. Quod tamen ita sub ductu Spiritus sancti, ita solide et irrevocabiliter factum est, ut de eo omittendo seria esse non potest quaestio.

Non enim concilia graeca contaminationem quamdam religionis et fidei perfecerunt, uti saepius inde ab A. Harnack repetitur, sed potius eiusmodi contaminationem excluserunt.

Quod in Nicaena synodo definitum est "homocousion" nihil aliud dicit quam quod in praefatione SS. Trinitatis canitur: Quod enim de tua gloria (kabod Iahwe) revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de ... quod quidem excludit rationalismum Arii, Platonismum Originis, Stoicismum Tertulliani,

quod pariter instauravit metaphysicam philosophiae christiana^e, nempe, realitatem, entia, non experientia externa vel interna, non nescio quo intuitu intellectuali, sed per veritatem veri assensus nobis innotescere.

Religio catholica, fides, dogmata, philosophia christiana, ita inter se connectuntur, ut iam pridem de iis separandis, de mundo intelligibili praetermissendo, ab ipsa ecclesia non admittitur.

e Quibus positis et retentis, ad verum problema discernendum et determinandum procedi oportet.

Quod si retinenda est theologia stricte scientifica, non ideo despicienda vel reicienda sunt quae notis methodis et technicis modo magis explicito, systematico, fructuoso coluntur. Sicut integratio non excludit mundum intelligibilem, ita non excludit vel mundum interiorem vel mundum aspectabilem.

Quod si integratio non in ipso mundo intelligibili efficienda est, sed potius in oscillatione quadam, ita novus quidam modus omnia inter se conciliandi, ordinandi, inveniri debet. Olim habebatur theologia scientiarum regina, et intelligebatur regimen deductivum, quasi omnia

27. 2. 62 | 21

in ipso mundo intelligibili continerentur. Quod verum est, non simpliciter sed secundum quid. Omnia in mundo intelligibili continentur, sed tantummodo per modum obiecti scientifici apprehensi. Praeter quam apprehensionem, existunt et aliae, suo valore praeditae neque vel ignorandae vel praetermittendae, nempe, immediata illa mundi aspectabilis apprehensio, immediata et interior sui ipsius conscientia, et utriusque ad Deum quasi experta atque viva (erlebt) habitudo.

f Quinam autem sit valor harum aliarum apprehensionum, vel breviter perstringi oportet.

Per phaenomenologiam ergo attingitur ille actus intelligendi, inde ab Aristotele notus, qui in ipsis sensibilibus intelligibile attingit. Unde S. Thomas, Sum. theol., I, q. 85, a. 1 ad 3m: "intellectus noster et abstrahit species intelligibles a phantasmatisbus.. et tamen intelligit eas in phantasmatisbus.."

Quo tamen actu non perficitur cognitio humana, quae quasi tribus contignationibus constat, nempe, experientia, intelligentia, iudicio.

Ex actu intelligendi procedit verbum incomplexum, quod vel scientifica rei definitio esse potest, plena universalitate gaudens, vel sufficiens quaedam ad praesentem considerationem et usum expressio, uti fit in cognitione vulgari; unde Athenienses et Socrates, quorum utrique virtutem quamdam, e.g. temperantiam, fortitudinem, intelligebant, illa modo vulgari rem exprimebant, hic autem definitionem universaliter validam exigebat.

Exemplum ex circulo; definitio incompleta; definitio completa; quaestio de exsistentia.

At praeterea requiritur iudicium, utrum res prout intelligitur atque definitur exsistat.

Phaenomenologia facile ita adhibetur ut omittatur definitio re vera universalis atque plenior illa scrutatio quae ad iudicium universal requiruntur.

Unde H. Fries, Die katholische Religionsphilosophie der Gegenwart, Heidelberg 1949, pp. 140 ss., crisi doctrinae M. Scheler ex hoc puncto incipit.

P. 141: Derselbe Scheler ist aber auch ein Beispiel dafür, wie leicht und häufig die Gefahr der Willkür auftaucht und wie man mit derselben Methode zu ganz verschiedenen "evidenten" Resultaten kommen kann. Mit Recht hat die Kritik darauf den Finger gelegt. So genial und fruchtbar die "Wesensschau" sein kann, sie bedarf der erkenntniskritischen Sicherung der Kritik der Vernunft. B

Ibid.: Die Grenze der Phaenomenologie liegt noch auf einem anderen Gebiet. Sie kann das Gesamtphänomen des Seins, die Einheit des Seienden aus Sosein und Dasein nicht erfassen, weil ihr die Erkenntnis des Daseins verwehrt ist. Die phaenomenologische Methode kann nur diese Frage mit Husserl einklammern.

Unde satis elucet per phaenomenologiam minime ad exclusionem mundi intelligibilis concludi potest, nisi quis vult portas ad omnes errores admittendos latissime patere.

2. Nova scientiae differentiatio ita admittenda atque acceptanda est, ut tamen cum doctrina traditionali integretur.

a Admittenda atque acceptanda est, quia in multis magis cum doctrina catholica consonat quam ideale scientificum aristotelicum, praesertim ubi hoc magis ad litteram quam ad sensum intelligitur.

a' Circa certitudinem: quae in theologia sunt theoretica et systematica, communius etiam sunt non certa sed probabilia. Requiritur ergo methodus quae non supponit omne vere scientificum etiam esse certum.

b' Circa universalitatem: ipse DNIC, facta in scripturis narrata, traditio catholica, facta dogmatica, non sunt universalia sed singularia. Neque dici potest haec singularia ad theologiam pertinere per modum exemplorum (cf. Sum. theol., I, q. 1, a. 2 ad 2m). Requiritur ergo methodus quae non supponit omne vere scientificum esse non singulare sed universale.

c' Circa immobilitatem: non immobilia sed historica, mobilia, contingentia sunt quae ad ordinem salutis, par ad Heilsgeschichte, pertinent; habetur enim evolutio revelationis in VT, ex VT ad NT, etiam inter libros ipsius NT; habetur evolutio dogmatum, evolutio theologiae, evolutio praxeos ecclesiae; ipsam mutationem mundus immobilius et ideo requiritur methodus quae scientificum non in immobili ponit sed etiam in mobilibus agnoscit, ~~quae~~, ~~in~~.

NB Ubi excluditur intelligibilitas in ipso motu, ibi facile recurritur ad falsum quemdam abstractionismum qui separat verum aeternum a temporali contingentii, et hoc respuit, illud vero solum acceptare vult. Ita indifferntismus religiosus qui religionem quamdam naturalem, ratione fundatam, admittit, sed religiones positivas rebus mutabilibus immixtas, adiunctis adaptatas, nisi valoris cuiusdam relativi non agnoscit. Cf. I. Kant, Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft.

d' Circa necessitatem: quae ad ordinem salutis pertinent, non absolute necessaria sunt sed contingentia quibus competit intelligibilitas quaedam de facto seu empirica.

Non absoluta necessitate facta est Incarnatio, Redemptio, ecclesiae institutio, librorum sacrorum inspiratio et inerrantia, septenarius sacramentorum numerus. Imo, iis omnibus suppositis, absolute fieri potuissent aliter quam de facto facta sunt.

Requiritur ergo methodus quae aliud scientificum agnoscit praeter necessitatem absolutam.

e' Dixerit quispiam haec omnia iam pridem a theologis optime cognosci, methodi aristotelicae adaptationes iam pridem esse factas, &c.

Respondetur nos minime dixisse theologos haec ignorare, nullam adaptationem fecisse. Ulro fatemur eos quam plurimas fecisse adaptationes, eos singulas quaestiones secundum propriam earum naturam tractare posse. Sed quaestionem de metodo ponimus, et ipsam cumulatam adaptationum multitudinem parum ducimus methodicam ubi una quaedam sufficeret adaptatio eaque systematica.

b' Ipsa nova scientiae differentiatio ita admittenda est ut cum doctrina traditionali integretur.

a' Eiusmodi enim est natura omnis evolutionis quae non solum in differentiatione sed etiam in differentiatorum integratione consistit.

b' Caeterum patet tum vetera non esse derelinquenda tum nova non eo modo esse ~~ad~~ acceptanda quomodo in scientiis naturalibus communius intelliguntur atque adhibentur. ^{reapse}

Vetera non esse derelinquenda, cum ~~rebus~~, sint vera necessaria, vera in immutabilibus, vera universalia, vera certissima.

Neque nova sine correctione esse admittenda; quemadmodum enim methodus scientifica moderna communius in scientiis intelligitur et adhibetur, variis erroribus admiscetur, uti mechanismo, positivismo, phaenomenismo, pragmatismo.

c' Perficitur haec integratio quatenus nova differentiatio ex radicibus derivatur quae iam in doctrina aristotelica et ~~thom~~ themistica prostant.

Cuius asserti sensus minime est vel Aristotelem vel S. Thomam omnia anticipasse et explicite dixisse quae de intellectu eiusque natura e scientiis modernis collegi possunt.

Eiusdem asserti sensus est eos ea posuisse fundamenta unde derivari, iudicari, corrigi possunt quae postea magis explicita sunt facta.

Eiusdem asserti probatio est obvia: si enim nova differentiatio ex doctrina aristotelica et thomistica derivatur iudicatur corrigitur, necessario cum illa doctrina cohaeret.

c' Integrata novae differentiationis acceptatio duobus maxime constat, quorum primum quaestionem, quid sit, alterum autem quaestionem, an sit, respiciunt.

Quae sane divisio in doctrina aristotelica et thomistica habetur, et quidem explicite.

d' Circa quaestionem, quid sit.

Nova differentiatio essentialiter dicit duo: aliud circa rem, aliud circa rei cognitionem.

Circa rem dicit existere intelligibilitatem, non necessariam sed empiricam, quae in ipso motu discernitur, quae temporum decursu evolvitur. E. g., existere processum quendam intelligibilem ex NT ad concilium Nicaenum; hanc intelligibilitatem non esse absolutam quamdam necessitatem ita ut res aliter fieri non potuisset; hanc intelligibilitatem perspici non in abstracta quadam speculacione de dogmatum evolutione sed in ipsis factis concretis historice investigatis; qua intelligibilitate hoc in casu perspecta, non habetur praemissa unde de omni alia dogmatis evolutione deducitur, sed reliqua dogmata simili modo investigata suam et aliam pariter concretam intelligibilitatem habere, ut ipse modus quo evolvuntur dogmata evolvatur.

Circa rei cognitionem dicit eiusmodi intelligibilitatem non uno quodam intuitu a maximo quodam ingenio inveniri, sed eiusdem inventionem paulatim crescere ex dissitis elementis primo seorsim perspectis deinde saepius examinatis atque compresatis pedetentim inventionem paulatim crescere. Primo enim dissita elementa seorsim perspiciuntur, ab alio perspecta ab aliis reexamiantur atque corriguntur, id que non semel sed et saepius; unde augente intelligentia elementa colliguntur et inter se comparari incipiunt, ut comparata magis in unum conflentur, et conflata nunc alio nunc alio modo denique tandem satis quadam ad squatulam intelligentia inveniantur coniuncta.

univer-
salis

deinde

tandem ad talem coniunctionem conducant quae omnibus fere quaestione satisfacere videatur.

Cuius rei exemplum sit progressus in intelligendo motu ex NT usque ad ~~xxxii~~ c. Nicaenum, qui quidem progressus inde a Petavio incipit et usque ad nostra tempora extenditur. Quod exemplum satis complexum est, sed pariter esset omne fere aliud.

Quemadmodum proceditur? Incipitur a contemporanea quadam solutione; eius elementa formalia et materialia enumerantur; quemadmodum inter se cohaerent et solutionem faciant perspicitur; quaeritur deinde unde desumpta sunt elementa formalia, unde desumpta sunt elementa materialia; quod quidem repetitur usque ad Petavium.

Diximus qualis sit illa intelligibilitas, quae ad quaestionem quid sit respondet, secundum novam scientiae differentiationem. Est nempe non necessaria sed empirica, est non ~~immobilibus~~ sed in mobilibus, est non universalis sed sese historice evolvens, neque uno quodam intuitu invenitur sed pedetentim decursu temporum ex multis et dissitis factis in unum conflatis et ordinatis attingitur.

Iam vero an doctrina eiusmodi radicem suam in Aristotele vel Aquinate habet?

~~Sane docent intellectum nostrum intelligibilitatem in ipsis sensibilibus perspicere. E contra, non explicite tradunt quod inde sequitur, nempe, diurno atque perseverante labore non unius hominis sed multorum, non uno tempore sed temporum decursu, paulatim crescere atque augeri sensibilium, factorum, dictorum, intelligentiam~~

~~Sane docent intellectum nostrum intelligibilitatem in ipsis sensibilibus perspicere. Qua ex doctrina sequitur omne quod fit in scientiis modernis~~

Sane docent intellectum nostrum in ipsis sensibilibus intelligibilitatem perspicere. Sane sciunt ex collectis et comparatis priorum doctorum sententiis non ~~parvum~~ parvum colligi fructum ad quaestiones solvendas. Sane sciunt intellectum humanum esse potentiale, neque ~~quamquam~~ quemquam ita perfecte omnes solvere quaestiones ut nihil a posteris inveniendum relinquatur. Sane sciunt quemadmodum fit actus intelligendi: quilibet in se ipso experiri potest quod quando aliquid intelligere studet format sibi aliqua phantasmatum per modum exemplorum in quibus quasi inspicit quod intelligere studet (Sum. theol., I, q. 84, a. 7 c.). Sane sciunt ipsum actum intelligendi non statim attingi sed pedetentim: cf descriptionem Aristotelis in qua comparat addiscentiam cum processu quo milites e proelio fugientes et ab hostibus secuti interdum stant atque resistunt, ubi unus primo stat, deinde accedit alius, brevi simul multi uniuntur, & hostes dispersos vincunt.

Quod apud eos deest, minime consistit in eo quod nesciunt intelligibile in sensibilibus particularibus perspicere vel ~~quam~~ paulatim ~~a~~ augeri. Eis deest anticipatio collaborationis scientificae, eis deest anticipatae collaborationis methodica regulatio, eis deest fructum praevisionis qui ex methodica collaboratione oriuntur.

¶ Circa quaestionem, an sit.

Cum haec quaestio longe sit complexior, sub alio et distincto asserto (3^o) consideratur.

3. Haec novae differentiationis cum doctrina traditionali integratio accuratam quamdam atque plenam exigit iudicii sapientis analysis.

a Ipsum factum evidens est.

Ubi enim scientia in empiricis, particularibus, mobilibus versatur, ibi non agitur de conclusionibus universalibus, necessariis, immobilibus, quae ex principiis per se notis infallibiliter deducuntur.

Quare, nova scientiae differentiatio aut certitudinem simpliciter praetermittit (quod in re theologica haud toleratur) aut eam ex iudicio sapienti repetit.

b Quid sit iudicium?

Iudicium est actus (1) quo quaestioni, An sit, Utrum ita res se habeat, affirmando vel negando respondetur, (2) quo iudicans ad verbum exterius prolatum comparatur ut assentiens vel dissentiens, (3) quo interius dicitur, Est, Non est.

[Circa iudicia modalia (forte est, probabiliter est, esse potest) hic non est agendum: in genere reducuntur vel in evitacionem iudicii (forte est = nescio), vel in assertum non ipsius esse sed eius quod ad esse refertur (esse potest = existit potentia unde hoc aliquid fieri potest)].

Iudicium non est actus voluntatis (electio, decisio, Entscheidung) quae bonum appetit, ei complacet, agendum vel faciendum decernit, sed est actus intellectus qui verum respicit.

Iudicium non ~~sunt~~ pertinet ad primam intellectus operationem quae quaesirit, perspicit, concipit synthesin (sive datorum sive conceptuum sive totius cuiusdam systematis) sed pertinet ad alteram intellectus operationem quae synthesin iam perspectam atque conceptum absolute ponit vel absolute reicit. ~~etiam~~ An ego loquor? Sane. An manus ~~habbam~~ habeo? Utique. ~~ad sola synthesis nisi hypothesis nihil sit.~~

Quae quidem positio est absoluta, scilicet, sine qualificatione vel reservatione. Quando enim iudicamus, dicimus rem, non imaginatio ne repraesentari, non affectu desiderari vel timeri, non conceptu cogitari, non huic vel illi videri, sed (sine addito) esse.

Cui absolutae positioni mens absolute adhaeret. Non enim secundum plus et minus, secundum gradus quoadam, affirmamus vel negamus, sed simpliciter. Quod quidem docet Newman (Grammar of Assent, London 1870) etiam de iudiciis modalibus: scilicet affirmare rem esse probabilem non est debilior quedam affirmatio existentiae rei sed absoluta positio probabilitatis.

Quae absoluta mentis adhaesio (vel non-adhaesio) sicut intellectualis cuiusque probabilitatem exercet ita personalem eius responsabilitatem implicat. Cuius signum est verbum de la Rochefoucault: Tout le monde se plaint de sa mémoire mais personne de son jugement.

Denique ipse iudicandi actus est intrinsece rationalis; procedit ex perspecta rei evidentia propter perspectam rei evidentiam, non mechanice, non vitaliter, sed rationaliter.

De hac emanatione intelligibili: B. L., Theol. Studies, 7(1946), 380 ss. Divinarum personarum, pp. 57 ss.

De iudicio apud S. Thomam, B. L., Theol. Stud., 8(1947), 35-79; P. Hoenen, La théorie du jugement d'après S. Thomas d'Aquin, Rome 1946.

De iudicio in genere, Insight, cap. IX, X.

c Quid sit evidētia sufficiens?

Mensura sufficientiae est syllogismus explicitus vel implicitus ut, scilicet, sufficit evidētia affirmandi B ubi habentur "si A tunc B; atque A; ergo B."

In syllogismo explicito praemissae sunt propositiones verbis expressae atque iudicio interiori affirmatae (negatae).

In syllogismo implicito vel altera vel utraque praemissa aut non exprimitur aut in stadio cognitionis invenitur quod iudicio praedit.

Duplex est syllogismi (expliciti vel impliciti) interpretatio: alia est kantiana ut syllogismus non sit nisi initium regressus infiniti prosyllogismorum; alia autem dicit syllogismum exhibere conclusionem ut virtualiter inconditionatam.

Inconditionatum est duplex, formaliter et virtualiter: formaliter inconditionatum nullas prorsus habet conditiones, et eiusmodi est Deus, isque solus; virtualiter ex inconditionatum conditiones quidem habet quae tamen de facto sunt impletæ.

Ita in syllogismo maior praemissa exhibit B ut conditionatum (si A, tunc B); minor praemissa exhibit conditiones ut impletas (atque A); conclusio exhibit B ut virtualiter inconditionatum.

Virtualiter inconditionatum intellectu perspectum constituit evidētiam sufficientem. Nam ubi B perspicitur uti virtualiter inconditionatum, habetur motivum et sufficiens et cogens ut assensu absolute ponatur B.

Sine virtualiter inconditionato non habetur evidētia sufficiens. Ubi enim B non perspicitur ut inconditionatum, non perspicitur utrum sint conditiones quae non implentur. Quo non perspecto, iudicium ponere esset temerarium.

Quemadmodum haec analysis variis iudiciorum typis applicetur, alibi diximus (Insight, cap. X). Exemplo tamen sit typus fundamentalis in quo:

impletio conditionum, A, habetur ex ipsis datis qua datis (sive sensibilitatis sive conscientiae)

nexus, si A tunc B, habetur ex ipso processu intellectuali debite peracto ex datis, A, ad synthesin conceptualem, B

qui quidem processus consistit in inquisitione circa data, in aliquali intelligentia datorum, in conceptione eius quod in datis intelligitur

qui processus debite peragitur quatenus normis atque exigentiis luminis intellectualis satisfacit

Qua ex analysi fundamentali distinguuntur tria quae obiectivitatem cognitionis humanae faciunt. Cf. Insight, cap. XIII.

Obiectivitas experientialis quae eo ipso habetur quod data dantur (ubi nulla est admittenda distinctionis valoris inter data, cum omnia pariter dentur, quamvis alia fundent iudicia de rebus materialibus et alia maxime fundent iudicia de psychologia anomali).

Obiectivitas normativa quae ipso lucine intellectuali constituitur, iis scilicet normis ex atque exigentiis quibus naturaliter regitur processus intellectualis, et quidem non mechanice, caece, vitaliter, sed consciente, intellectualiter, rationaliter regitur, dirigitur, gubernatur, cogitur.

Obiectivitas absoluta quae perspecto virtualiter inconditionato attingitur, quae ex obiectivitate experientiali (A) et normativa (si A tunc B) resultat.

d Quid logica, methodologia, "esprit de finesse," "illative sense."

Non propter auctoritatem Aristotelis logicam accipimus, sed ideo Aristoteles auctoritate gaudet quia logica exprimit ea quae iam ipso lumine intellectuali iam ~~magnificus~~ cognoscimus.

Differunt tamen inter se ipsum lumen intellectual et logica sicut et differunt subiectum et obiectum. Lumen enim intellectual nihil aliud dicit nisi subiectum humanum conscientem quatenus ab animali bruto differt, quatenus non absolute stupidum est, quatenus non insipiens prorsus est. Logica autem dicit obiectificatio quaedam (per conceptus et iudicia) ipsius luminis intellectualis.

Propter quam differentiam debemus logicam addiscere, non quidem ut lumen intellectual consequamur, sed ut lumen intellectual naturaliter habitum obiective per conceptus et iudicia apprehendamus.

Sicut logica, ita etiam methodologia est obiectiva quaedam luminis intellectualis expressio atque manifestatio.

Quae tamen inter se differunt, quatenus logica de cognitione in facto esse tractat, methodologia autem de cognitione in fieri.

Logica enim supponit conceptus iam formatos, iudicia iam elicita; quibus suppositis, alios conceptus quemadmodum definiantur, et alia iudicia quemadmodum ducantur, explicat, ordinat, regit.

Methodologia autem ipsam conceptionum formationem agreditur, ipsam iudiciorum praeparationem debitumque exercitium. Cumque aliter in aliis scientiis formantur conceptus et eliciuntur iudicia, distinguuntur methodologia generalis quae omnes pariter scientias (uti in fieri) respicit, et methodologiae speciales quae differentias particularium scientiarum (uti in fieri) considerat.

Luminis intellectualis tota vis atque virtus per logicam et methodilogiam non exauritur. Tam enim methodologia quam logica nisi generaliora, communiora, utiliora exponere non possunt; quinimo quo magis omnium consensum atque approbationem quaerunt, eo magis tardioribus mentibus necessario cedunt, eaque omittunt quae quamvis generalitate non careant tamen difficilius perspiciantur.

Quam ob causam, etiam sunt agnoscenda quae dicuntur "esprit de finesse" (Pascal) vel "illative sense" (Newman).

Quae quidem dicunt ipsum lumen intellectual prout in empiricis, contingentibus, mobilibus exercetur, et quidem prout subtilius, celerius, accuratius procedit quam ut legibus universalibus concipi et dici posse possit.

Quo enim magis quaestio ad formam geometricam accedit, eo facilius omnis rei aspectus accurate concipitur, omnis nexus perfecte exprimitur, omnis usus luminis intellectualis ad legem quamdam generalem et obiectificatam reducitur. E contra, quo magis quaestio a forma geometrica recedit, quo magis empiricis, contingentibus, mobilibus, iisque non paucis sed permultis simul, involvitur, eo subtilius totam inquisitionem pervadit, dirigit, gubernat lumen intellectual. Quae quidem omnium penetratio, directio, gubernatio adeo huic materiae, huic elementorum coniunctioni particulari, adaptatur, ut non obiectivae exponatur nisi per expositionem ipsius totius processus secundum omnes et singulas suas ambages.

~~Quem subtiliorem luminis intellectualis usum optime moverunt antiqui eumque sub nomine prudentiae (phronesis) expostierunt (Sum. theol., II-II, qq. 47-56). Cum tamen prudentia respiciat quae agenda vel facienda sunt~~

e' Quid sapientia?

a' Sicut scientia est conclusionibus, intellectus de principiis, ita sapientia seligit terminos quibus positis eluent principia.

Exemplo sit notio entis quae aliter concipitur apud Parmenidem, Platonem, Aristotelem, Plotinum, Avicennam, Averroem, Aquinatem, Scotum, Hegel, Heidegger.

Inter quas diversas notiones non caece seligendum est.

clarum et distinctum / Neque per prima principia seligi potest. Nam ipsa prima principia diversum induuntur sensum prout diverso modo exponitur entis notio.

Neque solo et quasi nudo lumine intellectuali seligi potest.

Hoc enim lumen ex parte subjecti invenitur et donec obiectificetur nondum constat quid praecise exigat, quid vetet. Caeterum, solum et nudum lumen intellectualis, sicut infantibus et parvulis non deest, ita magnis illis nominibus nuperrime recitatis.

t/ nee/ Quibus perspectis, cum Aquinate dicendum est sapientiam iudicare de ente, non-ente, hisque quae per se sunt entis (Sum. theol., I-II, q. 66, a. 5 ad 4m).

sit

b' At qualis est illa sapientia?

Sapientis esse dicitur "ordinare omnia."

Quae omnium ordinatio non ex superiori quodam principio (nobis immanente) procedit, uti ex superius dictis constat, sed ipsum supremum principium dicit, lumen nempe intellectualis nostrum, idque non solum et nudum, sed prout ad omnia extenditur hisque applicatur.

c' Qualis sit necessitas illius ordinationis?

Quamvis superius analysis iudicij fecerimus quasi eventus quidam isolatus esset, omne tamen iudicium intra contextum aliorum iudiciorum fit, quibus sensus iudicij facti elucidatur et explicatur, veritas eiusdem probatur et defenditur, antecedentia et consequentia adducuntur ut ipsum iudicium reddatur manifestius.

Cui contextui iudiciorum correspondet ipsa rerum interconnexio, interdependentia, similitudinis et dissimilitudinis multiplex relatio.

Quare, tum propter connexionem iudiciorum inter se, tum propter connexionem rerum inter se, tum propter correspondentiam inter vera iudicia et ipsas res, omne iudicium supponit omnium quamdam ordinationem.

d' Qualis sit genesis eiusdem ordinationis?

Paradoxon enim statuisse videmur. Ut bene iudicemus, praerequiritur sapientia. Sed ipsa sapientia in quadam omnium ordinatione consistit, quae sane cognosci non potest nisi per vera iudicia eaque permulta.

Iam vero paradoxon non excludit factum.

Parvulis non negamus lumen intellectualis, et tamen eos ad usum rationis pervenisse non censemus ante annum septimum. Adolescentibus non negamus vel lumen intellectualis vel usum rationis, et tamen eos coram lege plene responsabiles non reputamus ante annum primum et vigesimum. Iuvenibus non negamus vel lumen intellectualis, vel usum rationis, vel responsabilitatem plenam coram lege, et eos tamen minus aptos ad scientiam ethicam examinandam duxit Aristoteles propter defectum experientiae rerum humanarum.

a/ Cur? Quia sunt gradus sapientiae, quia sunt "omnium ordinationes" vel valde imperfecte in pueris, vel imperfectiores etsi aliquatenus sufficientes in adolescentibus, vel ad plenam perfectionem nondum adductae in iuvenibus.

Quae quidem ordinationes pedetentim acquiruntur, ut per iudicia minus bene facta denique tandem ad iudicia bene facienda perveniamus.

e' Quare, apte recolitur pyramis illa aristotelica (In I Met., lect. 1) secundum quam ex multis sensationibus una fit memoria, ex multis memoriorum unum fit experimentum, ex multis experimentis una fit causae cognitio, et quo altius in causas cognoscendas proceditur eo perfectius ad sapientiam simpliciter dictam pervenitur.

f De divisione sapientiae.

a' Alia est sapientia simpliciter, quae omnia simpliciter ordinat, et alia est sapientia secundum quid (vel sapientia particularis) quae omnia in determinato quodam genere vel campo ordinat.

b' Ita sapientia sutoris est sapientia secundum quid; omnia enim ordinat quae calceamenta respiciunt, et ideo de calceamentis bene iudicat; at "ne sutor ultra crepidam."

Similiter, omnes qui specialistae dicuntur, sapientes secundum quid sunt; ita historicus circa historica, exegetica circa exegetica, physicus circa physica, &c. Qui omnes, quatenus propriam materiam exploratam atque perspectam habent, omnia ad eam pertinentia ordinant et de omnibus illis bene iudicare possunt.

c' At praeter has sapientiae partes particulares etiam existit sapientia simpliciter quae omnia simpliciter considerat et ordinat.

Qualis in primis est ipsa divina sapientia quae totum posse divinæ potentiae comprehendit (Sum. theol., I, q. 25, a. 5).

Qualis deinde est visio beata DNIC, quæ non solum ipsam divinam essentiam immediate apprehendit sed etiam omnia actualia in eadem essentia videt (Sum. theol., III, q. 10, a. 2).

Cui proxime accedit visio Dei caeterorum beatorum, quae pro perfectione visionis plura ad Deum ordinate tamquam obiectum visionis secundarium perspiciunt.

~~Qualis autem est sapientia in beatis, talis etiam in theologo esse debet. Theologus enim mysteria in Deo abscondita (DB 1795) considerat, eorumdemque intelligentiam quadam quaerit. Sed de his ordinandis et iudicandis sola sapientia proportionata est illa divina et beatorum.~~

~~At haec quam exigit theologia sapientia theologo deest; hac enim in vita nescimus quid sit Deus (Sum. theol., I, q. 4 & 2, a. 1; cf. q. 12; I-II, q. 3, a. 8); et ignoramus ipsa divina essentia, etiam ignoratur quemadmodum caetera ad divinam essentiam et quatenus ignoratur ipsa divina essentia, eatenus non deest ignorantia circa ordinem caeterorum ad ipsam divinam essentiam.~~

~~Quem ob causam, theologia dicitur scientia subalternata scientiae beatorum (Sum. theol., I, q. 1, a. 2) ut scilicet principiis non ab ipso theologo perspectis sed a Deo revelatis et fixis magisterio ecclesiae declaratis et fide susceptis inhaerent. [Quemadmodum haec subalternatio theologiae a subalternatione aristotelica differt, cf. C. Dumont, La réflexion sur la méthode théologique, NRT 84(1962), 17-35].~~

d' Cui divinae et beatorum sapientiae proxime accedunt participationes quædam vel positivæ vel negativæ quæ hominibus hac in vita divinitus conceduntur.

Positivæ quidem sunt quæ a Deo revelantur, et praecipue eae quæ ad revelationem publicam VT et NT pertinent, ut prophetiae, librorum sacrorum inspiratio et inerrantia, apostolorum charismata.

Negativæ autem sunt in primis illa divinae providentiae assistentia quæ impedit quominus in rebus fidei et morum magisterium ecclesiae erret.

e' Iam vero ad sapientiam divinam et beatorum comparatur sapientia theologica, sicut ad scientiam subalternantem (puta geometriam) comparatur scientia subalternata (puta perspectivam non modernam sed antiquam). Cf. Sum. theol., I, q. 1, a. 2. C. Dumont, La réflexion sur la méthode théologique, NRT 84 (1962), 17-35.

Quæ quidem similitudo non perfecta est sed analogica, cum theologia christiana categorias aristotelicas excedat.

Similitudo quidem invenitur secundum quod theologus a Deo revelante accipit quæ suum captum atque iudicium excedunt, sicut etiam scientia subalternata a scientia subalternante accipit.

~~a se /~~ f' Dissimilitudo autem in eo est quod, qui perspectivam addiscit, etiam geometriam addiscere potest; sed qui theogiam addiscit, visionem beatam addiscere non potest sed tantummodo eamdem sperare in vita futura acceptum iri.

f' Unde et concludes theologum numquam suae sapientiae nimis confidere, semperque suum iudicium iudicio ecclesiae submittere.

Quae enim considerat mysteria in Deo abscondita, secundum ia sapientiam proportionatam non ordinantur et iudicantur nisi sit sapientia vel divina vel beatorum.

Quod autem magisterium exercet ecclesia Dei, illud divinitus adiuvatur ne in rebus fidei et morum erret, et quidem infallibiliter.

g' Quemadmodum vero theologus eam sapientiam acquirit quæ est possibilis est, principalis quidem est quaestio totius huius investigationis; de qua tamen modo speciali, infra p.

h' Quale sit sapientiae augmentum quod nova scientiae differentiatio exigit.

Initio huius sectionis diximus: Haec nova differentiationis cum doctrina traditionali integratio accuratam quamdam atque plenam exigit iudicij sapientis analysis.

Iam vero de iudicio diximus et de sapientia, ut dicendum maneat de iudicio sapiente circa ea quæ affert nova scientiae differentiatio.

Quae tamen hic nisi summis adlineamentis non dicetur, postea paulo complendis.

In primis ergo requiritur illud sapientiae augmentum quod naturam sapientiae particularis examinat, ut scilicet theologus iudicare possit quo usque specialistis confidendum atque credendum sit et ubinam particulatis eorum sapientia desinet.

Sed et ulterius requiritur illud sapientiae generalis augmentum ut quasi loca vacua a specialistis implenda relinquat, ut quæ a specialistis a oblata crisi subicere, suis finibus adaptare, cum propria sua doctrina integrare possit.

g' Etiam philosophia est sapientia quae omnia respicit.

Et quidem si homo esset in statu naturae purae, philosophia esset suprema sapientia humana, uti docuit Aristoteles.

In ordine autem actuali sapientia philosophica ita omnia respicit (ens enim transcendentale est) ut tamen aperta esse debeat ad intimorem coniunctionem cum ipsa divina sapientia quae supernaturaliter se revelat, per fidem creditur, per theologiam in totum campum intelligibilem redundat.

g' Quemadmodum haec de iudicio, de ~~xi~~ evidentiā sufficienti, de sapientia, comparentur ad antiquos.

Manifestum est Aristotelem fuisse auctorem doctrinæ tum de syllogismo tum de sapientia.

Praecipua differentia in eo est quod, post admissam novam scientiae differentiationem, ea quae olim de prudentia dicebantur (Sum. theol., II-II, qq. 47-56), iam ad complementum sapientiae esse adaptanda.

~~Prudentia scilicet respicit mobilia, contingentia, particularia, per accidens, sed eam tantummodo veritatem quaerit quae "practica" dicitur, nempe, quae de convenienter dicendis, agendis, faciendis, recta ratio agibilium~~

Prudentia (recta ratio agibilium) respicit mobilia, contingentia, particularia, per accidens, sed eam tantummodo veritatem quaerit quae "practica" dicitur, nempe, quae de hic et nunc dicendis, agendis, faciendis determinat.

Ubi autem admittitur ~~xx~~ scientia veri nominis quae empifice de homine tractat, ibi etiam excolenda est sapientia quae ita omnia ordinat ut etiam mobilia, contingentia, particularia, per accidens includat.

Quae sapientiae perfectio ea lege haberi potest ut:

- a' agnoscatur "esprit de finesse," "illative sense,"
- b' excolantur sapientiae particulares, scilicet, specialistarum,
- c' inter se ordinantur, coniungantur, quodammodo in unum conflentur tum sapientia theologica tum hae sapientiae particulares

Quemadmodum vero ad hunc finem procedatur, postea convenientius dicetur, ubi de divisione scientiarum agendum erit.

immanentismus,

4. Quibus excluduntur tum extrinsecismus tum ~~idealismus~~, omnesque quaestiones ad duo fundamentalia reducuntur, nempe, quid sit, et an sit.

a "Quibus," i.e., assertis praecedentibus de admittenda nova scientiae differentiatione et de necessitate iudicii sapientis.

b Excluditur extrinsecismus, et quidem quadruplex, nempe, deductivisticus, operativus, metaphysicus, et intuitivus.

i a' Exrinsecismus in genere est ~~oblivio~~ mentis; quae quidem ^{sue et propriae} oblivio suas habet rationes quae tamen tacer solent, scilicet, timor intelligendi et fuga a responsabilitate iudicandi.

b' Extrinsecismus deductivisticus non consistit in eo quod deductiones adhibentur, eaque vel longiores, systematicae, subtiliores, sed consistit in eo quod scientia reponitur, non in habitu intellectus, sed in processu quodam externo qui in libro exscribitur neque operationem intellectus nisi per accidens exigit.

Exemplo sit auditor vel lector criticus qui semper et de omnibus idem fert iudicium, ~~Re~~ non demonstratur.

Iterum, exemplo sint theologi saec. XIV qui singulas probationes in theologia naturali examinaverunt et, decursu temporum, semper plura divina attributa iudicaverunt indemonstrabilia. Vide P. Vignaux, art. Nominalisme, DTC XI(21), 782. (cf 777-784).

Ibid., p. 779: "Tout se passe comme si le théologien.. ne disposait.. que d'un instrument, la raison, que la logique, où il s'est formé à penser, lui a appris à manier et à définir."

Quod ~~mihi~~ aliunde non oritur ~~quam~~ nisi ex natura syllogismi non perspecta.

Duo enim sunt syllogismi munera: aliud circa quaestionem, quid sit, propter quid res ita se habeat; aliud circa quaestionem, an sit.

Circa quaestionem, quid, propter quid, syllogismus (qui dicitur *epistēmonikos*, "faciens scire") per medium terminum exhibit ~~ex~~ causam cur praedicatum insit subiecto; causam autem nuncquam cognoscimus nisi quatenus intelligimus.

Propter quid scimus lunam esse ~~sphaeri~~ sphericam? Propter phases.

Unde syllogismus: Si luna per phases transit, necessario ~~sphaer~~ sferica est; atqui per phases transit; ergo necessario sferica est.

~~Qui syllogismus non dicit nisi intelligentibus nexus inter sphericitatem et phases. Qui nexus non intelligitur nisi experimentis: e.g., si luna haberet superficiem planam, aut tota superficies videretur illuminata, aut nulla pars.~~

~~Circa quaestionem, An sit, Utrum ita se habeat, syllogismus non est nisi medium quo obiective repräsentatur obiectum actus intelligendi reflexi, nempe, virtualiter inconditionatum. Non externa vocabulorum exhibito sed interna perspicientia inconditionati facit iudicium et certitudinem~~

Qui syllogismus sensum alicui non habet nisi ipse intelligit nexus inter phases et sphericitatem; quod quidem non intelligit nisi experimenta vel fingit vel facit; scilicet, superficies plana aut tota illuminatur aut nulla pars eius pars; superficies cylindrica illuminatur vel tota vel pars prout ex alia vel alia directione advenit lux, sed phases non sunt sicut in luna; etc.

Unde addisces: syllogismus epistemonikos, seu faciens scire, eatenus scire facit quatenus aliquis causam, rationem, addiscit; si modo extrinseco consideratur, si a subiecto addiscente praescinditur quasi ab eo quod est per accidens, syllogismus evanescit; fit aës sonans et cymbalum tinniens.

Unde etiam addisces: quod intendit syllogismus faciens scire est, primo et per se, intelligentiae communicationem; vult ut aliis addiscat et intelligat, ut quaestioni propter quid responderem possit. Etiam quidem certitudinem intendit, sed secundario, vel ut finem ulteriore, qui non attingitur nisi mediante intelligentia causae.

Circa quaestionem, An sit, Utrum sic se habeat, syllogismus non est obiectivus quidam processus qui sine mente procedit, sicuti fit in processu mechanico, physico, chemico, biologico. Quinimo, syllogismus non est nisi medium quo intellectui reflexo exhibetur inconditionatum virtuale. Quae quidem exhibitio utilis est, sed tantum obiectivam non vero formalem evidentiam constituit. Formalis enim evidētia eatenus attingitur, quatenus a subiecto inconditionatum ut inconditionatum perspicitur. Quam perspicientiam iam diximus supponere (in ultima analysi) tum dari data omnia quae ad rem pertinent tum non dari quae rei obstant tum illam ordinantem sapientiam quae debite ex datis ad conceptiones, syntheses, theorias, systemata procedit.

Quod si quis neque ad data attendit neque genesis sapientiae in se ipso curat sed omnia, quasi gratiae gratis dandas essent, ex demonstrante exspectat, nullam umquam conclusionem demonstratam habebit.

Unde et addisces: sicut in eo qui extrinsecismum prorsus fugit invenitur syllogismus instrumentum scientiae augendae, ita in eo qui extrinsecismo indulget invenitur syllogismus instrumentum scepticismi. Quale instrumentum in saec. XIV^o factum est.

Fallacias extrinsecismi iam notavimus. In eo scilicet consistunt quod in syllogismo ponuntur verba, sicut "per se evidens," "verum," "certum," et alia quae nisi in intellectu non inveniuntur quod de "vero," "certo," "evidente," disputatur quasi haec "obiectiva" essent quin tamen in ullo intellectu fuissent.

E.g., quod Deus revelat est verum; atqui hoc Deus revelavit; ergo hoc est verum. Maior constat ex theologia naturali; minor constat ex apologetica quae naturali rationis lumine peragitur; conclusio demonstrat praeter fidem auctoritatis etiam existere fidem scientificam, obiective demonstratam, in mysteria revelata.

Distinguenda est maior et pariter conclusio: est verum, in mente divina, C, in mente humana, sub-dist., credente, C, infideli, N.

At fallacie eiusmodi vix manifestant quam perniciosus sit extrinsecismus deductivisticus. Praetermissa enim mente, etiam praetermittitur omne augmentum intelligentiae, scientiae, sapientiae, quod tamen existit tum in ordine naturali tum etiam fatente ipso c. Vaticano (DB 1800) in ordine supernaturali. Quo augmentatione praetermissio, pariter praetermittitur evolutio conceptuum, accuratior principiorum enuntiatio, plenior et exactior conclusionum deductio. Quibus praetermissis, iam excluditur omnis historia doctrinalis. Sicut ideae platonicae sunt aeternae et immobiles, ita etiam sunt conceptus qui dicuntur "objectivi" (scilicet, in nulla mente) et ideo sub omni respectu similes prorsus sive ante duo millia annorum intendebantur sive ante mille sive hodie. Quod si conceptus sunt immobiles, idem pariter de principiis est dicendum. Quod de conceptibus et principiis fingitur, etiam de "probationibus" pariter retinendum est; existit ergo de singulis rebus vera quedam atque objectiva probatio, quae vel umbram mutabilitatis pati non potest; totis viribus nitendum est ut illa probatio inveniatur; totis deinceps viribus nitendum est ne inventa per quamlibet vel levissimam mutationem corrumpatur.

Neque sufficit haec historiae doctrinalis exclusio, haec factorum manifestorum negatio. Illi conceptus, illa principia, illae probationes, quae ideo sunt objectivae ~~quia~~ in nulla mente sunt, etiam ideo sunt ab omnibus agnoscendae ne triumphet relativismus.

Quod quidem neque relativismum refutat neque relativismi refutationem tolerat et ideo quam maxime in relativum stabiendum atque disseminandum tendit.

Relativismum non refutat: relativistae enim docent relativitatem non conceptum, principiorum, probationum, quae in nulla mente ~~exist~~ exstant, sed eorum quae in mentibus humanis inveniuntur.

~~Relativismi refutationem non tolerat: cuiuscumque enim verum relativium refutare i~~ vult, ab extrinsecismo recedere et ad nentes olim et nunce existentes attendere debet; sed hoc ipsum quod est ab extrinsecismo recedere iam habetur ut fons relativismi et statim magnis clamoribus ut fons relativismi ~~etiam~~ denuntiatur.

~~Relativismi refutationem non tolerat, Qui enim errore extrinsecismi capiuntur, ipsum suum errorem magis diligunt quam relativismi refutationem~~

~~Relativismi refutationem non tolerat. Adeo enim ~~er~~ errorum suum diligunt ut ~~statim~~ statim relativismi reum habeant cuiuscumque ab extrinsecismo suo recedit. Sed nemo potest relativismum refutare nisi eos conceptus, ea principia, eas probationes considerat, quae in mentibus hominum inveniuntur. Sed ipsa haec consideratio ab extrinsecismo recedit~~

~~Relativismi refutationem non tolerat. Non enim tolerat~~

~~Relativismi refutationem non tolerat. Non enim eum tolerat qui ab extrinsecismo recedit, sed statim eum relativismi reum habet. Sed nemo potest relativismum refutare nisi qui conceptus in mentibus humanis considerat; et ipsa haec consideratio eo ipso est extrinsecismi derelictio et, secundum extrinsecistas, relativismi crimen.~~

c' Accedit extrinsecismus operativus.

Qui a praecedenti et deductivistico differt, non ratione, sed instrumento. Ubi enim alii loco mentis volunt syllogismum exterius dictum vel scriptum, alii loco mentis volunt methodum fideliter observatam. Fiant operationes secundum regulas methodicas, et eo ipso progredietur scientia. Neque tantummodo superfluit quidquam de intelligenti et rationali à subiecto cogitare, sed omnis talis cogitatio ipsam scientiae obiectivitatem obscurat, impedit, destruit. Eiusmodi enim concipitur esse "obiectivitas" ut in ipso processu externo attingatur, consistat, salvetur.

F. Gonseth | Ita quae dicitur logica vel symbolica vel mathematica suam sane et validitatem et utilitatem eamque magnam habet. At ea mente intelligi, suscipi, adhiberi potest, ut fiat non instrumentum mentis sed rationalitatis criterion atque mensura. Ita, etsi modo inarticulato, Alfred Tarski contra ~~PIERRE MAYER~~, Le Colloque International de Logique, Rev. Intern. de Phil., 8(1954), 46 ss.

Simili quodam modo in scientiis naturalibus bona reputatur investigatio quae viam aperit ad multas et alias investigationes peragendas, quae sua vice bonae sunt quatenus iterum vias aperiunt ad multas et alias investigationes ulteriores. Sane non fit scientia sine usu mentis; sed ipsa interioritas praetermittitur; tota attentio concentratur in iis quae vel sensibiliter dantur vel enuntiationibus proponuntur, ut progressus scientiae in eo consistat ut semper augentur cum quae sibi mutuo correspondent data et enuntiata.

~~At ulterius scientiae humanae eatenus scientificae reputari solent quatenus ad methodum scientiarum naturalium accedunt~~

At ulterius inter "naturalistas" scientiae humanae eatenus vere scientificae reputantur quatenus ad methodum scientiarum naturalium accedunt. Unde et quaeruntur "leges" ad modum ~~legum~~ legum physicarum, chemicarum, biologicarum, ut omittatur quod specificum humanum est. Neque ipsa haec omissio apprehenditur quia scientia modo extrinseco intellecta et exercita etiam praetermittit quod specificum humanum est.

Qui sane errores ab iis evitantur qui maxime ex motu romantico vel idealistico oriundi, scientiis spiritualibus (Geisteswissenschaften) operam dant. Quod tamen alios errores non excludit; ita recentius H. G. Gadamer, Wahrheit und Methode, Tübingen 1960, hermeneuticam romanticam (interpretes ita mentem auctoris penetrat ut quasi cum auctore totum opus reproducat) ideo impugnavit quod talis interpretes sui oblitus in difficultates historismi ruit: "Die Naivität des sogenannten Historismus besteht darin, dass er sich ~~an~~ einer solchen Reflexion entzieht und im Vertärunen ~~an~~ auf die Methodik seines Verfahrens seine eigene Geschichtlichkeit vergisst." p. 283. Quod sane nihil aliud est quam extrinsecismus, nempe, ita methodo confidere ut propria mens praetermittatur.

Momentum huius extrinsecismi in eo ~~st~~ est quod non parum influit in illam sententiam confirmandam atque disseminandam, nempe, scientias empiricas nisi probabiles non esse.

Re vera, extrinsecismus sicut mentem ita etiam iudicium investigantis praetermittit; quo iudicio praetermissio, non solum certitudo sed etiam cognita probabilitas tollitur.

Relecto autem extrinsecismo, et in honorem revocato illo actu personali quo iudicatur, satis perspici potest non solum probabilitia sed etiam in multis certa iudicia in scientiis empiricis ferri posse.

Et in primis antiquatae seu superatae hypotheses et theoriae non probabiliter tantum sed etiam certo reiciuntur.

Deinde in ipsis theoriis, quae hodie uti "optimae opiniones quae cognoscuntur" valent, etsi totum nisi probabile non sit, partes tamen omnes non ideo certitudine carent. Quod data occasione etiam a scientificis agnoscitur: ita cum theoria newtoniana theoriae ~~an~~

einsteinianae locum cessit, illud ab omnibus agnatum est, mensuraciones iam factas non esse reficiendas, cum nova theoria novum processum mensurandi non determinarit. Sed et aliud exemplum sit valor tabulae periodicae, quae per centum circiter elementa plus ter centena millia compositorum (non mixtorum) explicat: iam vero nemo diceret theorias sub-atomicas non posse theoriam elementorum mutare; quod tamen si fieret, ita fieri deberet ut salvas manerent quae iam sunt verificatae habitudines inter centum elementa et ter centena millia compositorum. Unde et illud generalius dici potest: ita superata theoria novae theoriae locum cedit, ut tamen ipsa nova theoria salvare debet tum phaenomena iam pridem accurate descripta, tum mensuraciones et experimenta iam rite peracta, tum correlationes quae proxime ipsis mensurationibus inhaerent. Quid praecise per illud "salvare debet" in singulis casibus significet, nisi iudicio sapiente non dicitur. Sedi iudicium sapiens haberi potest, non sane per deductionem necessariam et universalem, non per regulas cuiuslibet methodi, sed per agnitam ~~pi~~ prioritatem ipsius interioris mentis et per sapientiam particularēm quae nisi lente, nisi per longum exercitium, in singulis materiis adaptata non acquiritur.

d' Accedit extrinsecismus metaphysicus.

Secundum schematismum kantianum (quemadmodum scilicet inter se corrispondent imaginatio et categoriae) "reale" est illud quod vacuam temporis formam implet. Vel idem aliter: recte adhibetur categoria intellectualis, "reale," ubi puris formis sensibilitatis accedit impletio quaedam experientialis.

d' Accedit extrinsecismus metaphysicus.

Praeter res quoad se et res quoad nos, etiam considerari possunt res-in-se.

Res quoad se est res.

d' Adcedit extrinsecismus metaphysicus.

Intelligentia vulgari cognoscuntur res quoad nos, scilicet res cum habitudinibus suis ad nostros sensus, appetitus, emotiones, sentimenta, usus, fines.

Per scientias cognoscuntur res quoad se, scilicet res cum habitudinibus ad alias res eiusdem ordinis; ita per tabulam periododicam cognoscuntur elementa secundum relationes uniuscuiusque ad caetera.

Per abstractionem quamdam considerari potest res praecisis omnibus relationibus sive ad nos sive ad alias res eiusdem ordinis, et sic concipitur res-in-se. E. g., anima prout praescinditur a duplice definitione aristotelica, (1) anima est actus primus corporis potentia vitam habentis, (2) anima est primum quo vivimus, sentimus, intelligimus.

Iam vero eadem res est et quoad nos et quoad se; praeterea, altera cognita in cognitionem alterius dicit; ita ex ~~exp~~perimenta cognitione rerum-quoad-nos proceditur in cognitionem scientificam; et ex cognitione scientifica redditur ad applicationes practicas.

E contra, res-in-se non est nisi abstractio; abstractions non existunt nisi in mente; necne cognoscuntur nisi ut entia rationis.

Imo res-in-se illicitam abstractionem importat ut potius merum nomen quam verus conceptus dicenda sit. Quod enim alicui essentiale est, ab eo illicite praescinditur; ipsa enim praecisio est implicita quaedam ipsius essentiae negatio. Ita anima humana est per se et essentialiter forma corporis (DB 481); et ideo ubi praescinditur ab habitudine animae ad corpus, ibi tollitur ipsa ratio & animae. Pariter, manus est essentialiter organum, et organum est essentialiter pars corporis organici; unde conceptus manus-in-se importat negationem eius quod est manui essentiale. Pariter, omnis essentia finita est natura, seu principium intrinsecum remotum operationum; quae quidem operationes sunt vel transeuntes vel immanentes; et transeuntes eiusmodi sunt ut alias res & afficiant aptae natae sunt, immanentes vero eiusmodi ut alias res cognoscant et appetant. Essentia-finita-in-se ergo vel negat rationem naturae, ut nullam habitudinem ad operationes habeat, vel negat rationem operationis ut nullam habitudinem ad alias res habeat.

Quibus secundum veritatem positis, nihilominus fatendum est iam per saecula de re-in-se et fusius scribi et acrius disputari. Quaenam praeceps fuerint confusiones apud quosnam & auctores, nisi per longiorem investigationem historicam non dicitur. Sed sequentia & animadvertisenda esse videntur.

Ne confundentur res quoad se et res in se: neutra dicit habitudinem immediatam ad nostros sensus, sentinentia, usus; sed illa est obiectum scientiarum; haec autem ens rationis dubii valoris.

Quod nullam habet habitudinem ad nostros sensus, sensibus non appetet; unde res in se opponitur meritis apparentiis. E contra, res quoad nos dicit habitudinem ad nostros sensus; sed non ideo sequitur cognitionem rei quoad nos esse cognitionem apparentiarum.

Falso laudantur scientiae quasi per ipsas cognoscantur res in se dum cognitio vulgaris nisi apparentias non cognoscit.

Immerito concluderetur idealismus ex eo quod res in se neque cognosci potest neque existit.

Inepte ad defensionem realismi laboraret qui rem in se et valide cognoscet et realiter existere et strenuo asserret et assereret et dilenter probaret. Quinimo, argumenta idealistis praebaret.

Inepte concipitur metaphysica uti scientia rerum in se; et falso inde concluderetur, sicut res-in-se nullam ad aliud quidquam habitudinem habeat, ita metaphysicam scientiam nullatenus habitudines habere sive ad cognitionem nostram sive ad obiecta aliarum scientiarum sed securissimam in nescio qua turri eburnea reponi.

~~a) Accedit extrinsecimus intuitivus.~~

Sum. theol., I, q. 84, a. 7: hoc quilibet in seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format aliqua phantasmata sibi per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet.

Quare, qui cognitionem intelligere conatur, phantasmata sibi format tum obiectorum cognoscendorum tum actuum cognoscitorum; unde et ipsum cognoscere etiam imaginatione repraesentat in quantum actum cognoscitivum per modum alicuius videre, intueri, conspicere, sese transcendere & et obiectum attingere supponit.

Quinimo, transcendentiam haud aliter imaginatione repraesentari potest nisi actus cognoscitivus in genere cuiusdam visionis seu intuitionis supponitur.

At quamvis hoc verum sit de imagine transcendentiae, non ideo statim asserendum est de ratione transcendentiae. Qui enim

e' Accedit extrinsecismus intuitivus.

Huius tendentiae radix est epistemologica. Ad quaestionem criticam (quemadmodum fieri possit ut obiectum cognoscatur) respondet: tum nos ideo obiecta cognoscere quia ea videmus, percipimus, inspicimus, intuemur, tum nos non posse immediate obiectum cognoscere nisi ea videmus, percipimus, inspicimus, intuemur.

Verba haec (videre, percipere, inspicere, intueri, et similia) sumuntur non sensu proprio sed analogico. Sensu proprio visionem ocularem dicunt. Sensu analogico de aliis actibus cognoscitivis adhibentur quatenus visioni oculari partim sunt similes et partim dissimiles.

Ipsa similitudo non ex factis psychologicis investigatis manifestatur sed ex necessitate epistemologica concluditur. Scilicet, per se evidens reputatur subiectum non posse obiectum realiter distinctum immediate cognoscere nisi per actum qui aliquo modo similis sit visioni oculari. Nam & sine tali similitudine non esset transcendentis, et sine transcendentia non esset cognoscitivus.

Sicut videre ergo, etiam audire, tangere, olfacere, gustare, conscientum esse, intelligere, iudicare dicuntur vel dici possunt videre, percipere, conspicere, intueri. Quibus nominibus significatur (1) hos actus esse transcendentes, obiectorum cognoscitivos, et (2) nullam dari posse transcendentiam nisi per aliquam similitudinem ad visionem ocularem.

← : anum

Quod intuitionismi principium (~~ex~~) epistemologicum non reputamus nisi mythum. Verum est nos non posse imaginatione repraesentare transcendentiam cognitionis nisi per imaginem visionis ocularis vel alterius similis. Falsum est transcendentiam in eo consistere quod ~~xix~~ sic imaginatione repraesentatur; nam re vera ideo cognitionis humana (non dico animalem cognitionem) est transcendentis quia inconditionatum attingit; quod ~~autem~~ inconditionatum est, conditiones iam non habet; quod conditiones non iam habet, sicut ab aliis ita etiam a subiecto cognoscente independens est; quod ita est independens, subiectum transcendentis.

Qui tamen mythus non parum influit in theorias cognitionis tum realisticas tum idealisticas.

Realistae asserunt nos videre, intueri, non meras apparentias sed ipsam realitatem, et quidem nos videre, percipere, non solum sensibus sed etiam intellectu. Exemplo sit E. Gilson, Réalisme thomiste et critique de la connaissance, Paris, Vrin, 1939.

P. 203: Ainsi, de quelque manière et à quelque profondeur de plan que nous lui posions la question: comment ~~à~~ savoir qu'une chose existe? le réalisme répond: en la percevant.

P. 215: On peut donc tenir pour certain, dès le début de cette nouvelle enquête, que l'apprehension de l'être par l'intellect consiste à voir directement le concept d'être dans n'importe quelle donnée sensible.

P. 225: Mais l'intellect peut voir l'être dans le sensible que nous percevons.

P. 225 s.: ... le jugement qui prédique l'être de cet existant le lui attribue tel que le conçoit l'intellect, c'est à dire comme "vu" dans le sensible donné dont il l'abstrait.

[in sua Kritik der reinen Vernunft]

E contra Kant quamvis formis sensibilitatis, categorias intellectus, ideas rationis habeat a priori, quamvis asserat omnem nostram intuitionem non esse nisi apparentium, tamen principio generali de necessitate intuitionis omnino cum Gilson concordat.

Incipit transcendentalis aesthetica: "Auf welche ~~xx~~ Art und durch welche Mittel sich auch immer eine Erkenntniß auf Gegenstände beziehen mag, so ist doch diejenige, wodurch sie sich auf dieselbe unmittelbar bezieht, und worauf alles Denken als Mittel absweckt, die Anschauung." A 19; B 33; Akd., IV, 29; III, §49.

ent/

Initio logicæ transcendentalis: "Anschauung und Begriffe machen also die Elemente aller unserer Erkenntniß aus..." "Gedanken ohne Inhalt sind leer, Anschauungen ohne Begriffe sind blind." A 50 s.; B. 74 s.; Akd. IV, 47 s.; III, 74 s.

Quia sola immediata obiecti cognitio est intuitio, iudicium nisi mediatam cognitionem non praestat: "Das Urtheil ist also die mittelbare Erkenntniß eines Gegenstands, within die Vorstellung einer Vorstellung desselben." A 68; B 93; Akd. IV, 58; III, 85.

b/

Unde et ideae rationis longius ab obiecto cognoscendo inveniuntur cum immediate nisi ~~xx~~ intellectum eiusque usum non attingunt: Die Vernunft ~~xx~~ zieht sich niemals geradezu auf einen Gegenstand, sondern lediglich auf den Verstand und vermittelst desselben auf ihren eigenen empirischen Gebrauch. B 671; Akd. III, 427; A 643.

H sit

Breviter: nulla est immediata relatio cognitionis ~~xx~~ intellectus ad obiectum nisi per intuitionem; iudicia nisi media ~~xx~~ obiecta non attingunt; ideae rationis duplici mediatione indigent tum intellectus tum ipsius intuitionis. Quam ob causam, cum omnis nostra intuitio (Anschauung) non ~~xx~~ nisi apparentium, ipse validus et legitimus usus intellectus et rationis non potest conducere nisi ad validitatem quamdam phaenomenalem; et ulterius, cum sine intuitione nullum prorsus attingatur obiectum, usus rationis ultra campum phaenomenalem reputatur illusio transcendentalis.

~~necessarium~~

H ad

Unde concludes: idem principium epistemologicum [nempe, voir, percevoir, anschauen, esse conditionem ~~transcendentalem~~ possibilitatis obiectum cognoscendi] duplicitate adhiberi posse: uno modo, a realista uti E. Gilson, qui quamdam entis visionem intellectui humano astruat; alio modo, a Kant, qui intuitions nostras ~~xx~~ apparentias restringat.

t/

Ulterius concludes: sententiam a Gilson propugnatam [realismum criticum esse contradictionem; doctrinam aut esse realisticam et non criticam, aut criticam et tunc non realisticam, op. cit., pp. 38 note, 39, 44 s., 77 s., 128, 154, 160 note, 161 s., 179 note, 182] fundari secundum quid sed non simpliciter. Fundatur secundum quid, quatenus per nomen realismi intelligitur realismus intuitivus; supposita enim necessitate transcendentali intuitionis, id quod per intuitionem videtur, conspicitur, percipitur, necessario est aut reale aut apparentia. Non fundatur simpliciter, nam uti iam diximus, asserta necessitas intuitionis (ut cognition ~~xx~~ obiecti sit possibilis) non est nisi mythus.

Ulterius concludes: realismum criticum non dicere contradictionem. Realismus quidem est quia ens per verum iudicium cognoscit. Criticus est ~~xx~~ quia mythum reicit sive a realistis intuitivis sive ab idealistis criticiis propugnatur.

Ulterius concludes: realismum criticum magis quam realismum intuitivum a doctrina kantiana recedere. Realismus enim intuitivus concedit praemissam maiorem kantianam, necessariam esse intuitionem, et tantummodo negat praemissam minorem, intuitionem nostram esse apparentium. Realismus autem criticus negat tum maiorem kantianam tum minorem: cognition humana est transcendentia, non propter imaginem intuitionis, sed ~~xx~~ propter inconditionatum virtuale actu intelligendi reflexo perspectum; experientia humana sensitiva non est apparentium sed datorum; quinimo apparentium esse non potest, nam distinctio inter id quod est et id quod tantum appetet non fit a sensu sed a iudicio rationale (e.g., baculus est rectus sed aquae immersus appetet ~~xx~~ [- non est] curvus).

i/

Momentum huius disputationis, quantum rem methodologicam attinet, maximum est. Eatenuis enim methodologia accurate determinari potest, quatenus, facta circa intelligentiam et rationalitatem humanam accurate concipiuntur et vere diximus dicuntur. Iam vero mythica illa necessitas, omnem actum cognoscitivum visioni oculari quodammodo esse similem, continuo veritatem psychologicam impedit et falsificationsam fictiones fabricationesque suadet. Neque tantum in campo psychologico sed etiam in campo hermeneutico: exemplo sit C. R. Fay [New Scholasticism, 34(1960), 483 s.] qui in sensu contradictorio interpretatus est De Ver. q. 1, a. 9; ubi S. Thomas dicit veritatem actus cognosci non posse nisi cognita natura actus, et naturam actus cognosci non posse nisi cognoscatur natura principii activi, ille dicit naturam principii activi cognosci non posse nisi perspecta ipsa re et perspecta conformitate intellectus ad rem, ~~stizzidem~~, per modum interpretationis manifestae. (; quod cuidem asserit)

c Excluditur immanentismus.

a' Sicut extrinsecismus ita mundis aspectabili et intelligibili inhaeret ut mundum interiore praetermittat, ita immanentismus ita mundo interiori includitur ut mundum exteriorem aspectabilem vel intelligibilem attingere non valeat.

Transitus ex extrinsecismo in immanentismum fit per problema criticum. Exigentia enim critica est ne quis de his loquatur quae neque scit neque scire potest. Cui exigentiae satis fieri non potest nisi extrinsecismus deponitur, ad interioritatem redditur, et actus cognoscitivi indicantur quibus unumquodque, de quo loquitur, vel cognoscitur vel saltem cognosci potest.

At ipsa haec exigentia critica sat facile errorem et malum oppositum inducit. Arduum enim et longum est ad claram distinctamque notitiam cognitionis humanae pervenire. Neque enim ipsi actus cognoscitivi ut actus facile observantur et inter se ordinantur. Neque idem actus qua cognoscitivi facile explicantur quemadmodum obiecta attingunt. Neque qui primam quaestionem psychologiam solvit, ideo alteram et epistemologiam solvere potest. Nequa ipsa solutio epistemologica obiecta attingunt. Accedit quod inter se dependent solutio prioris et psychologicae quaestioneis et solutio posterioris et epistemologicae quaestioneis; ut qui solutionem epistemologicam ignorat, facta psychologica vix observare possit; et qui facta psychologica ignorat, solutionem epistemologicam vix concipere possit. Neque haec sufficient. Ut de ipsis factis psychologicis disseras, ut de obiectis eorumque ad actus psychologicos habitudine loquaris, theoriam quamdam metaphysicam saltem implicite adhibeas necesse est. Quare, quamvis breviter et rationabiliter exigentia critica proponatur, ei tamen non satis fit nisi simul fere solvuntur quaestiones maxime fundamentales et psychologicae et epistemologicae et metaphysicae. Quibus vel nullatenus vel imperfecte solutis, exigentia critica ita extrinsecismum tollit ut immanentismum imponat.

b' Ad immanentismum excludendum gressus fundamentalis est iam peracta iudicii analysis, quae simul physiologica, epistemologica, et metaphysica quasi in radice tangit.

Haec enim analysis psychologica est quatenus narrat facta: nos quaerere an sit (utrum e. g. haec iudicii analysis vera sit); nos evidentiam eamque sufficientem exigere; syllogismo sive explicito sive implicito proponi inconditionatum quoddam virtuale; conditionatum quidem sufficere non posse, inconditionatum vero non posse non sufficere ad iudicium absolute ponendum; nos per iudicium absolute ponere quod iam perspeximus esse inconditionatum, et quidem necessitate rationali.

Eadem analysis epistemologica est. Nam eatenus cognitio nostra subiectum transcendent, quatenus inconditionatum attingitur. Quod enim inconditionatum virtuale est, illud conditiones non iam habet; quod conditiones non iam habet, neque in aliis rebus neque in ipso subiecto conditiones iam habet; ~~max~~ quod in ipso subiecto conditiones iam non habet, subiectum transcendent, ab eo independens est, ex-sistit.

[Obici potest sic haberi transcendentiam non absolutam sed relativam, ut scilicet affectiones, modificationes, desideria, timores, subiectivitas cognoscentis transcenduntur, sed relativitas ad modum cognoscendi humanum maneat.

[Respondetur modum cognoscendi humanum esse ut ita dicam/transparentem; eiusmodi scilicet esse ut conditiones cognoscendi sint ipsae conditiones transcendentia. Radicitus enim conditiones cognitionis humanae sunt duae: proxima, ut iudicium ex perspecto inconditionato procedat; remota, ut totus cognoscendi processus per non restrictam capacitatem et exigentiam regatur (scilicet, per intellectum qui est potens omnia facere et fieri, per animam quae est quodammodo omnia, per naturale cognoscendi desiderium quod de omnibus, etiam de Deo infinito, quaerit quid sit, et de omni quidditate dubitet an sit.) Iam vero hae cognoscendi conditiones etiam transcendentia conditions sunt: absolutae enim transcendentiae proponuntur tum non restricta capacitas et exigentia tum huius capacitatis ad unum determinatio per inconditionatum.]

Eadem denique analysis metaphysica est. Quod enim iudicio ponitur, per "esse" ponitur; iudicamus enim quatenus affirmamus, Est, vel Non est. Quod autem per "esse" ponitur, est ens: nam ens ab esse dicitur; vel ens est cui suo modo competit esse. Quod denique a metaphysica tractat, nihil est aliud quam ens.

Unde et concludes tria esse immanentismi generalia

Quod si immanentismus per analysin iudicii rite peractam excluditur, immanentistarum error ad talem analysin rite non peractam reducitur.

Nisi occasio immanentismi ergo non est qui ex scientiis invictus inter philosophos modernos factus est error communis, nempe, sensibilia non esse nisi rerum apparentias, ipsas vero res materiales non esse nisi materia motuque constitutos.

Unde non tollitur immanentismus ubi ab hoc errore per phenomenologiam vel existentialismum receditur.

c' Quod si excluditur immanentismus per analysin iudicii rite peractam, sequitur omnis immanentismi radicem in eadem analysi non rite peracta reponi.

i/ Unde concludes non ipsum morbum sed morbi tantummodo symptoma eo inveniri ubi sensibilia reputantur mere apparentia vel ubi impugnatur intuitionismus. Ubi enim rite peragitur iudicii analysis, statim perspectitur sensibilia non qua sensa sed qua iudicata dici apparentia, vel rejecto intuitionismo minime ideo esse reiciendum realismum.

~~E contra, etiam ubi deponuntur illusiones circa rem-in-se, circa sensibilia ut mere apparentia, circa intuitionismum, cogita Hegelianos, minime ideo ab immanentismo receditur~~

t/ E contra, ubi deponuntur illusiones circa rem-in-se, circa sensibilia uti mere apparentia, circa intuitionismum, ibi non ideo ab immanentismo receditur. Cogita Hegelianos, apud quos tamen iudicium non est nisi conceptum compositio, et alia quidem alia perfectior donec ad perfectissimam perveniat quae in identitate intelligibilitatis consistat, e.g., hominem esse rationalem. Cf. W. T. Stace, The Philosophy of Hegel, London 1923, New York (Dover) 1955, pp. 231-247.

vel. (1)/ d' Sed et subtilior quaedam est ~~xan~~ recens immanentismi forma sui parum conscientia, quae fortiter sese idealismo oponit, non quia inconditionatum, transcendens, verum, ens attigerit, sed quia ~~et~~ (1) realitatem in experto, ~~esse~~ in viso reponit.

qualemannade Qui realitatem in experto reponit, Deum se cognoscere opinatur, non quia per verum iudicium apprehendat ens, non quia per assensum intellectualem fidei in dogmata Auctorem salutis cognoscat, sed quia ei tam realis est vita sua religiosa quam reliqua quam agit vita. Recole quae superius e Gabriel Marcel citavimus; vel eos cogita quos allicit titulus, Our Experience of God, auctore H. D. Lewis, London 1959; vel etiam Seminaristas, ne dicam theologiae professores, qui antiquam theologiam ab ontologia hellenistica et mediaevali purgandam esse censeant. Sed contra Aquinas qui reputavit nos esse divinum cognoscere quatenus veram cognoscimus esse propositionem, Deus est. Sum. theol., I, q. 3, a. 4 ad 2m.

Qua in re omnino distinguendum est inter (1) errorem theologicum et (2) defectum evolutionis seu ~~cont~~ conversionis intellectualis. Error in eo consistit quod negantur quae in Vaticano docentur, DB 1789, 1792, 1820. Defectus evolutionis seu conversionis intellectualis in eo consistit quod mirum, imo incredibile, homini videtur se "realiter realia" realiter cognoscere per mera iudicia vera. Qui defectus rarius et difficilius corrigitur. Quem enim parvuli realitatis sensum ante usum rationis formavimus, eundem per reliquam vitam invincibili quodam instinctu aestimamus tutissimum et securissimum. Tam enim per animalitatem quam ~~px~~ per rationalitatem definitur homo.

new page Qui vero esse in viso, perspecto, reponunt, non solum sensum videntem sed etiam intellectum in sensilibus intelligentem significant. Ultra phaenomenologiam procedunt ut ontologiam quamdam statuant. Quae tamen a thomistica differt, cum verum et ens in illo intelligibili sese manifestante inveniatur quod in ipsis sensilibus elucet. Ita opus artis homini attendenti, intelligenti, contemplanti manifestat pulchrum, verum in sensilibus, possibilitatem secundum quam quis homo esse possit. Quod tamen verum intuitioni per artem exhibetur, idem a ~~philosopho~~ philosopho reflectente et indagante quaeritur, idemque a philosopho attingitur quatenus tum ad esse (humanum) tum ad se ipsum intelligendum pervenit. (Cf. R. Bultmann, Das Problem der Hermeneutik, Zeit. f. Theol. u. Kirche, 47(1950), 56 s. Etiam apud Glauben u. Verstehen).

a/ Quae tamen esse et sui ipsius intelligentia non hypothesis habetur inconditionato mensuranda et iudicio affirmanda vel neganda sed, his gressibus oblitis, ad ordinem voluntarium statim proceditur ut quis eligat utrum talem possibilitatem humanam in se ipso vel efficere decernat, utrum praedicationi evangelicae

efficere decernat, vel, ut rem religiosam tangam, utrum occasione praedicationis evangelicae per fidem quamdam fiducialem ad Deum voluntarius accedat. esse,

Iam vero, ubi verum, onticum, ontologicum ita concipiuntur, nominibus et verbis potius quam re et veritate ab immanentismo receduntur. Quam enim identificationem realitatis et rationalitatis tum objective tum subjective tum absolute posuit Hegel (illa nempe quae conceptum antecedit et ad conceptum tendit), eadem fere hic repetitur, non tamen generaliter, sed quatenus genesin (eamque in ordine pratico) respicit nunc huius nunc illius libere electae ideae tou hominem esse.

d/ Omnesque quaestiones ad duas reducuntur, Quid sit, et An sit.

~~Ea scilicet lege integrari integranda est nova scientiae differentiatio cum doctrina traditionali, ut oppositiones ordinis conceptualis (necessarium et contingens, universale et singulare, immobile et motus, per se et per accidens) transcedantur~~

Ea scilicet lege integrari potest nova scientiae differentiatio cum doctrina traditionali, ut ad radicem priorem et communem reducantur quae inter se contradictriae opponuntur, uti necessarium et contingens, universale et singulare, immobile et motus, per se et per accidens.

Quae quidem radix praecognitualis sit, necesse est, nam conceptus contradictionis opposuntur. Praecognitualia autem sunt tum ipsae ~~exempli~~ quaestiones tum intelligendi actus: ideo enim formantur conceptus ut quaestionibus respondeatur et quod intellectum est exprimatur.

Et quaestiones quidem ita ad responsa conducunt ut eadem non determinant. Qui enim querit quid sit, intelligibilitatem querit, neque a priori determinat utrum quæsita intelligibilitas sit necessaria an empirica, universalis in multis ~~an~~ singularis in exemplo unico, immobilitis per omnia tempora vel temporum decussu sese evolvens, per se uti in lege classica vel ex ipsis quae per accidens sunt hausta uti in lege statistica.

Qui autem intelligibilitatem quandam attingit perfectam vel imperfectam, essentialem vel analogicam, ordinis vel naturalis vel supernaturalis, non ideo ad ens et verum pertingit sed ad synthesin quandam quae, utrum realiter existat, per ulteriorem quaestionem, An sit, investigandum est. Numquam enim illi extrinsecismo indulgendum est qui evidens sine evidentiam perspiciente, verum sine sapienter reflectente, certum sine responsabiliter iudicante astruat.

e' Qua reductione peracta, fundatur unitas non solum theologiae sed et omnis cognitionis proprie humanae.

a' Omnis enim quaestio (quid sit, an sit) intendit "ens." Omne iudicium affirmat vel negat "esse." Omnis conceptus, sicut ad praeparandum iudicium ordinatur, ita etiam ad "esse" ordinatur; quod autem ad "esse" ordinatur, est "ens"; et ideo omnis conceptus saltem implicite est conceptus entis.

b' Proinde, cognitio proprie humana non atomistica est sed composita. Non enim rationabiliter iudicatur nisi intelligitur aliquo modo saltem quid sit de quo fertur iudicium; neque intelligitur nisi praemittitur eius experientia quod intelligendum est.

Pariter, quamvis sola experientia, externa vel interna, cognitionem in animali constituit, non ideo sola experientia sine intelligentia vel iudicio dici potest cognitio proprie humana. Neque sufficit ut intelligentia experientiae accedat quin fiat iudicium; sic enim inter realitatem et apparentias, inter astrologiam et astronomiam, inter alchemiam et chemiam, inter mythum et historiam, non distinguitur.

dif / BEZIN
leffunditur

c' Unde et excluditur exaggerata illa distinctio et separatio obiectorum quae ex influxu Max Scheler valde funditur.

Re vera, modus cognoscendi humanus subtiliter differentiatur secundum diversitatem obiectorum. Quam differentiationem in clara & luce ita posuit Scheler ut tamen, synthesi non aequa, radicalem quamdam separationem suadere videatur.

H. Fries, Die katholische Religionsphilosophie der Gegenwart, Heidelberg 1949, p. 139:

"Scheler hat.. die verschiedenen Sphären des Seins gesehen und ihnen eine sehr differenzierte "sphärenkongeniale Erkenntnis" zugeordnet: Der Sphäre der Werte das intentionale Fühlen, der Sphäre des Göttlichen den religiösen Akt, der Sphäre des Personalem den Mitzollzug der Akte, der Sphäre der Realität den Widerstand, der Sphäre der Wissenschaft die Akte des Anschauens und Denkens."

Ibid. et s.: "Aber Scheler, der die Besonderheit der Sphären nach Akt und Gegenstand erkannte, betonte ihre Unableitbarkeit so sehr, dass er nicht nur die zwischen den Sphären bestehende Gemeinsamkeit aus den Augen verlor, sondern auch ihren letzten Zusammenhang mit dem Sein. Schelers grosse Konzeption der Sphären barg auch die Gefahr und Grenze seiner Philosophie: den Umschlag des Pluralismus in einen abgründigen Dualismus. Und Scheler ist diesen Weg gegangen."

sat
 Quod autem modo subtili, methodique clara et exacta, apud Scheler factum est, idem modo ~~est~~ crassiori saepius auditus: personam non esse obiectum; religionem et ontologiam omnino esse diverse; etc.

d' Quam apud Scheler irreducibilem differentiationem notavit H. Fries, multis et aliis modis apud alios invenitur, modo momentum iudicii vel praetermittant vel falso concipient.

Nam experientia externa et interna pro diversitate obiectorum diversificatur; intelligentia pariter pro diversa obiectorum intelligentia variatur. Quare, quandiu ad experientiam et intelligentiam restringitur attentio, tamdiu non inteniuntur nisi alias et alias experientiae, quibuscum concordant, ut formae materiis, alias et alias intelligibilitates.

Quod cognitionem humanam unit, in intentione finis et in ipso fine invenitur. Finis autem in singulis processibus cognoscitivis est iudicium, quo semper idem ponitur aut Est aut Non est. Intentio autem finis in quaestionibus invenitur; quae quidem intentio per quaestionem, quid sit, data externa et interna promovet ut intelligibilitas in iis quaeratur et inventa concipiatur; unde et eadem finis intentio per quaestionem, an sit, conceptam intelligibilitatem, promovet ad ordinem veri et entis.

f Quae fundata unitas cognitionis proprie humanae et analogica est et analogiae entis correspondet.

Analogica est et quidem analogia proportionis. Non enim idem semper est obiectum experientiae, idem obiectum intelligentiae, idem quod iudicio affirmatur, sed eadem semper sunt operationes, nempe, experiendi, intelligendi, iudicandi.

Analogiae entis correspondet: nam illud ens, quod nostrae cognitionis hac in vita est obiectum proprium, est quidditas sive natura in materia corporali existens. Sum. theol., I, q. 84, a. 7. Ubi materia corporalis correspondet experientiae, quidditas sive natura correspondet intelligentiae, existentia denique correspondet iudicio.

~~Ens autem ultra proportionem obiecti proprii duplex est, nempe, angelus et Deus. Quorum angelus sine materia corporali est, et tamen forma et esse componitur realiter. Deus autem non solum sine materia est, sed etiam eius forma seu essentia est suum esse.~~

Ens autem ultra proportionem obiecti proprii humani est duplex, angelus nempe et Deus. Neque enim de angelo hac in vita intelligere possumus quid sit (Sum. theol., I, q. 88, a. 2), neque de Deo (ibid., a. 3; cf. q. 2, a. 1). Sed eos cognoscimus quod sunt et quod quidditatem sive naturam habent. Inter quos tamen illa demonstratur differentia quod in angelo aliud est essentia et aliud esse sed in Deo eadem est essentia ac esse; et iterum quod in angelo aliud est esse et aliud intelligere, sed in Deo idem est esse ac intelligere (Sum. theol., I, q. 3, a. 4; q. 14, aa. 2 et 4; q. 54, aa. 1 et 2).

Qua perspecta correspondentia concludes: sicut analogia entis omnia includit, ita etiam consideratio methodologica quae in operationibus fundatur quibus ens cognoscitur; quinimo, ipsae operationes fundamentales experiendi, intelligendi, iudicandi, fundamentalibus categoriis metaphysicis correspondent, nempe, potentiae, formae, et actui; sed et ulterius, sicut unum ens materiale e tribus componitur, materia nempe et forma et esse, ita una cognitio humana e tribus componitur, nempe, experientia, intelligentia, iudicatio.

5. Posita unitate tum metaphysica ex parte obiecti tum methodologica ex parte operationum cognoscitivarum, ad distinctiones intra hanc unitatem proceditur, ut inter se distinguantur sensus communis (= intelligentia vulgaris), scientiae naturales, philosophia, fides, theologia, theologia positiva, theologia systematica.

a Posita unitate: cf. numerum praecedentem ad finem.

Inter se distinguntur: notate omissionem scientiarum humanarum, quae propter specialem difficultatem in altera problematica considerantur. Etiam notate distinctionem esse methodologicam, i.e., secundum operationes modumque operandi.

b Distinguuntur sensus communis et scientia naturalis.

Narrat Aristoteles (Metaphys., M, 4, 1078b 17 ss.), etsi Democritus et Pythagoraei quasdam posuerint definitiones, Socrati tamen recte duo attribui, nempe, ratiocinia inductiva (epaktikoi logoi) et definitiones universales.

Iam vero qui definitiones universales ponere vult, sensim sine sensu ad systema exigitandum cogitur. Non enim minus priores termini quam posteriores determinationem exactam flagitant, neque ipsi primi aliter quam per mutuas habitudines exactam determinationem habere possunt. Qui autem primos terminos per mutuas suas habitudines determinatos ponit, systema ponit unde systematice omnes alios terminos per primorum compositionem definire potest.

E.g., in ~~philosophia~~ metaphysica aristotelica-thomistica omnes primi termini etiam bini sunt et per mutuas habitudines, scilicet per mutuam proportionem seu analogiam, determinantur; ita potentia et actus, materia et forma, essentia et esse, substantia et accidentia.

Cui systemati metaphysico supra addidimus systema methodologicum atque correspondens.

conceptuale

conceptualis
Illud ergo inter sensum communem et scientiam naturalem intercedit, quod sensus communis ad systema efformandum non tendit, sed scientia ad systema efformandum cogitur.

Quae quidem differentia ipsum modum concipiendi afficit. Tam sensus communis quam scientia naturalis data sensibilia intelligit. Ubi autem sensus communis exprimit quod intelligit tum lingua ordinaria tum eo modo quo alii quam facillime sensum ~~verborum~~ perspiciant, scientia ideale quoddam logicum et systematicum respiciens ad linguam technicam configit, facilitatem addiscendi praetermittit, univocitatem, rigorem, exactitudinem, possibilitatem deductionis longioris super omnia aestimat.

Quae differentia in obiecto intelligendo et concipiendo aliam in ipsa structura conscientiae subiecti inducit.

Qui enim modo vulgari cognoscit, intellectum et cognitionem non ponit finem humanum cui caetera subordinantur; ~~sed finem hominum~~ ~~ad finem hominum~~ sed finis est finis hominis in quem tendit totus simul homo, cuius tantummodo pars est intellectus. Quare qui sensu communi cognoscit, vere quidem cognoscit et permulta quae aliter cognosci non possunt; ~~quae~~ ~~tempor~~ practica non sunt, quae ad finem hominis non directe respiciunt, ea inutiliter cognosci ~~possunt~~.

attem

dicit.

E contra, qui modo scientifico cognoscit, quatenus sic cognoscit, ei cognitio est finis cui caeterae potentiae subordinantur. Cogita mathematicum qui totus occupatur in symbolis exscribendis, intelligendis, et aliter rescribendis. Quam technicam conscientiae transformationem supra notavimus, ubi de mundo intelligibili diximus. Mundus enim intelligibilis est systematicus, in quo e primis quibusdam caetera derivantur et ipsa prima per mutuas habitudines determinantur; ad quem mundum apprehendendum exigitur subiectum, non curis cotidianis immersum, sed his resectis et dimissis totum fini intellectuali intentum.

Unde notantur:

Non aliis est mundus aspectabilis sensu communi apprehensus et aliis intelligibilis intelligentia scientifica conceptus, sed idem prorsus mundus aliter et aliter apprehenditur. Per conscientiam in schemate drammatico-practico apprehenditur mundus quoad nos; per conscientiam in schemate intellectuali apprehenditur mundus quoad se. De schematibus conscientiae, cf. Ingicht, cap. VI, §2.

Mundus intelligibilis sensu communi ultra horizontem iacet. Quod enim dicit sensus communis, inutiliter cognosci non-practica, manifeste falsum est, uti demonstrant scientiae applicatae. Attamen non simpliciter errat sensus communis; quamvis enim inutilitatem ~~minimam~~ dicendo erret, tamen suam incapacitatem dicendo non erraret; per sensum communem enim cognosci non potest mundus quoad se, seu mundus intelligibilis. Quinimo, ad sanitatem ipsius sensus communis pertinet ut a re theoretica prorsus abstineat; ubi enim theoreticis sese immiscet, in insaniam ruit, uti multis et diversis exemplis nostri temporis sat manifestum est.

c A sensu communi et scientia naturali distinguitur philosophia.

Qui scientias perspectas et exploratas habet, non ideo sensu ~~minimam~~ communi caret. Sed, sicut idem est mundus aspectabilis et intelligibilis, ita idem est subiectum, nunc scientificum mundo intelligibili intentum, nunc in mundo aspectabili vivens et schemate conscientiae drammatico-practico utens.

At quamvis idem sit mundus intelligibilis et aspectabilis, attamen non eadem eiusdem regio in scientiis et in sensu communi principaliter consideratur. Et quamvis idem sit subiectum quod nunc schemate conscientiae intellectuali, nunc schemate drammatico-practico, utitur, nemo tamen ~~aut~~que schemate simul uti potest.

Unde agnoscenda est duplex scissio: scissio obiecti, cum systema, ~~minimam~~ quod primum est in consideratione scientifica, longissime distet ab iis quae sensu communi sunt immediata; et praeterea scissio subiecti, qui inter diversa conscientiae schemata oscillatur.

Cui dupli scissioni advenit philosophia. Et scissioni quidem subiecti advenit, quatenus e mundis intelligibili et aspectabili recedit in mundum interiorem. Scissioni autem obiecti advenit, quatenus totum obiectum cognitionis humanae, nempe ens, facit suum et proprium.

Recedit in mundum interiore. Sicut enim exigentia systematica cosit scientificum in mundum intelligibilem, ita et exigentia critica cogit philosophum in mundum interiore.

Exigentia enim critica est: negative, ne quis de iis loquatur quae non cognoscit et multo minus de iis quae cognoscere non potest [puta extrinsecistam qui de entibus loquitur prout a Deo sunt facta, prout a Deo sunt cognita; qui modus loquendi Deo quidem convenit sed non philosophia qui omnia quae cognosicit modo humano cognoscit]; positive, exigentia critica est ut pro singulis/de quibus fit sermo etiam indicantur actus quibus vel cognoscuntur vel saltem cognosci possunt. Quas actuum indicatio supponit mundum interiorem perspectum et exploratum.

Qui tamen in mundum interiore reditus ab omni immanentismo liberari debet.

Quamvis enim actus cognoscitivi per conscientiam subiecto dantur, tamen cognitio proprie humana neque per sola data, neque per data intellecta, sed per data ita intellecta ut fiat iudicium verum constituitur. Quod si cognitio proprie humana non ante constituitur quam ad iudicium verum perveniatur, frangitur omnis immanentismus; nam iudicium verum affirmat esse de ente (non esse de non-ente), et adeo ens in subiecto non continetur ut subiectum, tamquam ~~mim~~ pars prorsus minor, in ente continetur.

Imo, cum ens (collective) dicat omnia, in ente continentur tum mundus interior, tum mundus aspectabilis, tum mundus intelligibilis. De singulis enim et de omnibus eorum partibus et aspectibus eatemus cognoscimus cuatenus vere dicimus ea esse.

cum Philosophus ergo scissionem obiecti et subiecti superat quatenus (1) intra mundum interiorem conscious est tum actuum cognoscitorum tum diversorum conscientiae schematum (scilicet, dramatico-practici in mundo aspectabili, theoretici in mundo intelligibili, introspectivi in mundo interiori) unius subiecti secundum diversa tempora diversaque fines intentos, et (2) mundum interiorem per verum transcedens, intra ens cognoscit tam mundum intelligibilem quam mundum aspectabilem et mundum interiorem.

Sed et ulterius structuras notat earumque isomorphismum.

Sicut enim subiectum cognoscit quatenus et experitur et intelligit et iudicat, ita ens subiecto proportionatum componitur potentia, forma, et actu, tum in ordine substantiali tum in ordine accidentalis (puta, materiam primam, formam substantialiem, esse; intellectus, habitus, actus intelligendi; oculus, visus, actus videndi; etc.)

~~Et praeter structuras in diversis similes, ad transitus et geneses attendit.~~

E mundo enim aspectabili incipitur per exigentiam systematicam in mundum intelligibilem pervenitur, qui tamen est idem mundus quoad se consideratus. Quod quidem non tamen in genere sed in specie et in particulari examinat, quemadmodum scilicet historice percurrent sit ex iis quae sunt quoad nos ad singula eorum quae sunt priores quoad se. Qui sane transitus et geneses reconciliationem quandam efficiunt ut cognoscantur mundus aspectabilis et intelligibilis tamquam duo eiusdem mundi aspectus.

Pariter e mundo aspectabili et intelligibili in mundum interiorem ita redit ut ad eos iterum exire possit. Et iterum historiam quasi recapitulat perspiciendo quemadmodum diversis modis diversoque fructu haec integratio philosophica vel tentata vel peracta sit. Unde et sibi praeparat illam sententiarum diversarum analysin, qua ~~facilius et securius de opinionibus iudicari possit, et ad illam dialecticae intelligentiam pervenit, qua historia philosophiae modo~~

Praeter isomorphismum structuralem, notat materialem correspondentiam. Quamvis enim alia facilius secundum priora quoad nos, alia facilius secundum priora quoad se concipientur et cognoscantur, nihil tamen ita est quoad se quin transponi possit ad ea quae sunt propter quoad nos, et nihil adeo quoad nos quin transponi possit ad quae sunt quoad se. Quod enim in alio est prius, in alio posterius est.

Similiter, quocumque ab homine cognoscitur sive in mundo intelligibili sive in mundo aspectabili, idem tamquam obiectum per determinatos subiecti actus cognoscitur; et ita ex mundo vel intelligibili vel aspectabili in mundum ~~in~~ ^{ad} interiorum mundum interiorem semper redire possumus.

Praeter isomorphismum structuralem et materialem correspondentiam, notat processum geneticum.

Exigentia enim systematica cogit inquirentem ex mundo aspectabili in mundum intelligibilem; exigentia critica cogit inquirentem e mundo vel aspectabili vel intelligibili vel utroque in mundum interiorem; exigentia methodica facit ut reflexe cognoscatur ~~processus cognoscendi~~ ^{processus cognoscendi} exhibitus circa mundum ~~inxix~~ ^{inxix} aspectabilem, intelligibilem, interiores, et ulterius ut haec ~~inxix~~ ^{inxix} reflexa cognitio gubernet atque ordinet operationes ulteriores quae in his mundis cognoscendis exercentur.

Quae quidem omnia aspectum inversum habent. Mundus enim aspectabilis est quasi medium quo in mundum intelligibilem proceditur; mundus intelligibilis est quasi medium quo in subiectum accurate cognoscendum redditur; mundus interior denique est medium quo reflexe cognoscitur sensus communis et methodice exploratur sive mundus a sensu communi cognitus sive mundus intelligibilis sive mundus interior.

Qui duplex circulus geneticus non semper semel pro semper circuitur sed saepius. Singulis enim vicibus plenius satisfit exigentias systematicis, criticis, methodicis. Singulis pariter vicibus et plenius et accuratius cognoscuntur obiecta, clarificantur actus et structurae subiecti, extenduntur structurae isomorphicae, augentur correspondentiae materiales, et ipse processus historicus quo haec omnia perficiuntur in clariori ponitur luce.

Praeter isomorphismum structuralem, correspondentiam materialem, processum ~~et~~ ^{et} geneticum, notat elementum dialecticum.

Quem enim diximus processum geneticum, linea quaedam idealis seu prima quaedam approximatio est. Quatenus autem actualis rerum cursus per extrinsecismum vel immanentismum ab hac linea aberratur, oriuntur scholae per diametrum oppositae, quae verum falsis admiscent, surdum quemdam irrationalitatis in se continent et hoc tamen/qua irrationaliter agnoscere vel non possunt vel ~~non~~ nolunt, quamvis continuo fere doctrinam suam nunc hic, nunc ibi, modificare ~~exquiruntur~~ cogantur, quin uniuersum securim ad radicem mittere valeant.

Unde et concluditur ad profundiorum quamdam criticam, eamque dialecticam, quae omnia dicta, vel omnes theses, inter positiones et contra-positiones dividit, et illas quidem definit per actus cognoscitivos rite exhibitos et exercitos, has autem per eorundem actuum quemlibet defectum.

Qua distinctione perspecta et explorata, scholarum oppositarum sententias ita examinat ut quid positionis quid contra-positionis contineant determinet.

Qua peracta determinatione, nihil remanet ut positiones quidem ad ulteriorem perfectionem producantur, contra-positiones autem per eliminationem elementi irrationalis in positiones convertantur.

De quibus omnibus, vide ~~inxix~~ ^{inxix} Insight.

surdum /

d Distinguuntur fides et cognitio.

a' Excluso extrinsecismo, nullum est verum nisi in aliqua mente.

Cf. Sum. theol., I, q. 16, a. 7: Unde si nullus intellectus esset aeternus, nulla veritas esset aeterna. Sed quia solus intellectus divinus est aeternus, in ipso solo veritas aeternitatem habet.

b' Aliter verum alteri intellectui inest.

Alteri enim inest ut cognoscendi; ipse scilicet expertus est, ipse inquisivit et intelligit, ipse concepit, ponderavit, iudicavit; unde per proprium suum cognoscendi processum ipse eo pervenit ut hoc aliquid esse verum cognoscat.

Alteri autem inest ut credenti; credens nempe per proprium cognoscendi processum non eo pervenit ut hoc aliquid esse verum cognoscat ipse; ei deest vel experientia, quia numcuam in Asia fuit, vel intelligentia, quia ~~non videt~~ argumenta perlegit, vim argumenti cur $E = mc^2$ perspicere non ~~videt~~ valuit, vel evidentiae sufficientia, ~~qua experientiam habet et argumenta intellexit~~ quia quamvis experientiam habuerit et consecutionem argumentorum per intellexerit, eo tamen non pervenit ut certum iudicium efformare potuerit. Attamen, credens, quamvis ipse non cognoscat, et alteri tamen cognoscendi credit; habet in suo intellectu ut verum quod in intellectu non suo sed alterius est cognitum; e.g. tabulas mathematicas mathematici omnes habent ut veras, quas tamen admodum perpauci veras esse cognoscunt.

c' Fides extensionem veri valde auget.

Per extensionem veri significamus numerum mentium in quibus hoc aliquid verum inest.

Iam vero ~~sunt~~ sine fide sola ea vera in singulis essent mentibus ad quae certo cognoscenda singulae per proprium cognoscendi processum pervenerunt.

Per fidem autem fit ut quod verum est in hoc aliquo intellectu etiam in omnibus ~~mentibus~~ credentibus sit verum.

d' Fides sensum "veri" facit duplitem.

Excluso enim extrinsecismo, nullum est verum nisi in aliqua mente. Per fidem autem fit ut vera duplicitate huic intellectui ~~in~~ inesse possint, nempe, ut cognita, vel ut credita.

Attamen, primo et per se "verum" significat verum cognitum; secundario autem "verum" significat verum creditum. Nisi enim esset qui cognosceret, non haberetur cui credi posset. Numquam denique verum significat quod neque cognoscitur neque creditur; secus in extrinsecismum relaberemur.

e' Processus fidei ergo est (1) ex vero cognito in illo intellectu (2) ad verum creditum in hoc intellectu.

Duo ergo importat hic processus: ex vero cognito in verum creditum; ex intellectu cognoscentis in intellectum credentis.

Frioris elementi principium est: quod in intellectu cognoscente est verum, idem alteri intellectui ignorantis est bonum ordinis intellectualis; e.g., bonum est intellectui meo has tabulas mathematicas habere ut veras; quod bonum est ordinis intellectualis, e.g., non-ordinis practici, non ordinis utilitatis, etc., unde saepius sparguntur mendacia quae reputantur utilia, pia, etc.

e' Processus ergo à fidei est (1) ex vero cognito ab illo (2) ad verum creditum ab hoc.

Principium ergo processus est verum cognoscens et dicens.

Terminus processus est verum audiens et credens.

Ipse processus est mediatio inter principium et terminum.

Abstracta, mediatio invenitur in ratione boni intellectualis.

Scilicet, ideo fieri potest transitus ex vero cognito ad verum creditum quia intervenit ratio boni intellectualis. Quamvis primo et per se verum ~~est~~ tantummodo verum cognitum, tamen secundario verum cognitum est bonum non tantum intellectus cognoscentis sed etiam ~~hinc~~ alterius intellectus.

Concrete, mediatio consistit in operationibus credentis qui (1) verum ab alio cognitum apprehendit ut bonum sibi intellectualis; (2) hoc bonum apprehensum suo intellectui conferre vult; (3) suus intellectus, a voluntate sua motus, vero ab alio cognito assentit.

Notate, interventum voluntatis necessario sequi ~~est~~ ex eo quod verum ab alio cognitum mediante ratione boni in verum creditum transit. Quare nihil refert utrum omnino evidens sit scientia et attestatio cognoscentis; semper enim interventus voluntatis requiritur.

psychologico

f' Centralis locum in processu ad fidem tenet actus intelligendi reflexus.

Obiectum fidei est id quod creditur; e. g., tabulas mathematicas esse veras.

~~Actus fidei est assensus intellectus; credo tabulas esse veras.~~

Motivum fidei est cur credatur; quod motivum est scientia cognoscentis et veracitas veracitas dicentis; e.g., qui fecit tabulas neque fallitur neque fallit.

Actus fidei est assensus intellectus ad obiectum propter motivum; credo tabulas esse veras quia a sciente et verace sunt confectae.

Electio fidei est actus voluntatis: volo credere obiectum propter motivum.

Iudicium credibilitatis et credentias est iudicium verum de bono, de valore: possum et debeo ~~credere~~ velle credere obiectum propter motivum.

Actus intelligendi reflexus est quo perspicitur evidentiam sufficere ut ponatur ~~est~~ iudicium credibilitatis et credentias: perspicio evidentiam sufficere ut iudicem me posse et debere velle credere tabulas esse veras propter scientiam et veracitatem eius qui tabulas confecit.

Praeambula fidei dicunt evidentiam cuius sufficientia in ~~est~~ actu intelligendi reflexo perspicitur. Sunt nempe praemissae alicuius syllogismi expliciti vel impliciti qui manifestat inconditionatum virtuale esse quod in actu reflexo perspicitur, in iudicio credibilitatis affirmatur.

Iam vero actus fidei ex electione sequitur et in electione praecontinetur. Credo quia volo credere.

Electio fidei ex iudicio credibilitatis et credentias sequitur et in eo praecontinetur. Volo credere quia possum et debere velle credere.

Iudicium credibilitatis et credentias ex actu intelligendi reflexo sequitur et in eo praecontinetur. Iudico me posse et debere velle credere, quia perspicio evidentiam sufficiere ut ita iudicem.

~~Sed actus intelligendi reflexus in praeambulis non praecontinetur neque ex his solis sequitur. Praeambula scilicet scientiam evidentiam, cuius sufficientia perspicienda est~~

Sed actus intelligendi reflexus non ita praecontinetur in praemulis neque ita ex iis sequitur.

Praemula enim dicunt evidentiam, cuius tamen sufficientia ab actu reflexo perspicienda est. Et secundum hoc praemula comparantur ad actum reflexum, sicut materia comparatur ad formam, vel melius sicut forma comparatur ad actum.

^{d)} Praemula iterum dicunt praemissas syllogismi cuius conclusio est iudicium credibilitatis et credentitatis. Sed inter praemissas syllogismi et eiusdem conclusionem intercedit actus reflexus quo perspicitur syllogismum valere; et sine illa perspicientia nihil in mente fit sed tantummodo habetur processus quidam verbalis et exterior.

Quia ergo actus intelligendi reflexus ita actus subsequentes praecontinet atque fundat, ut tamen ipse in praemulis non ita praecontineatur vel fundetur, habetur intentum: actum intelligendi reflexum in processu psychologico ad fidem locum quemdam centralem obtainere.

e Distinguuntur fides humana et fides divina.

a' Fidei divinae definitio (DB 1789), rationabilitas (DB 1790), gratuitas (DB 1791), obiectum (DB 1792), necessitas (DB 1793), auxilia interna et externa (DB 1794), comparatio cum ratione humana (DB 1795).

b' Fides dicitur divina vel propter motum vel propter obiectum.

Est divina propter motivum, ubi Deus est fidei principium, ille scilicet qui verum cognoscit et dicit. Et secundum hoc fide divina creduntur omnia a Deo revelata, sive sunt ordinis supernaturalis, sive sunt ordinis naturalis sed non ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognoscuntur (DB 1786).

Est divina propter obiectum, quatenus obiectum est mysteria ita in Deo abscondita ut nisi divinitus revelarentur nobis innotescere non possent (DB 1795).

Ad simplicitatem argumenti confert ut de fide divina tum propter motivum tum propter obiectum fiat sermo.

Fides humana ~~etiam~~ est humana vel propter motivum vel propter obiectum. Simplicitatis causa sermo erit de fide humana tum propter obiectum tum propter motivum.

Per fidem humanam creditur homini quod ab homine cognosci potest; e.g., tabulas mathematicas ~~esse~~ esse veras, vel " $E = mc^2$ ", quamvis ipsi neque hoc ~~x~~ neque illud per proprium experiendi, intelligendi, iudicandi processum cognoscamus.

Per fidem divinam creditur Deo quod a solo Deo cognosci potest; e.g., Deum esse trinum, hominem ad visionem Dei aeternam gratuito ordinari.

Sicut in fide humana, ita etiam in fide divina augetur extensio veri, sensus "veri" fit duplex, processus est ex cognoscente et dicente ad audientem et credentem, mediatio est per rationem boni, et locum centralem obtinet actus intelligenti reflexus.

Attamen ipsa veri extensio illud mirum ~~in~~ in fide divina includit quod ab homine ut verum creditur quod ab homine ut verum cognoscere non possit

c' Sicut in fide humana, ita etiam in fide divina, verificantur quae superius sunt posita, nempe, per fidem valde augeri extensionem veri, duplum fieri sensum "veri," processum esse ex cognoscente et dicente ad audientem et credentem, mediationem esse per rationem boni, locum centralem obtineri ab actu intelligendi reflexo.

Quate tamen omnia aliter in fide divina, aliter in fide humana, verificantur.

Per fidem enim divinam fit ut extensio veri dicitur inclusionem ordinis supernaturalis; fide enim divina creduntur quae naturaliter ab homine cognosci non possunt.

Iterum, per fidem divinam fit alia duplicatio sensus "veri": quod enim fide humana creditur, idem ipsum a credente cognosci potest; e.g., quamvis credo tabulas mathematicas esse veras, tamen addiscere non possum calculationis principia et ipsam calculationem perficere. Quod autem fide divina creditur, idem a credente secundum suam naturam cognosci non potest; mysteria enim divina suapte natura intellectum creatum excedunt (DB 1796).

Iterum, per fidem divinam mediatio ita in ratione boni consistit, ut tamen illud bonum non homini naturale sed ultra eius proportionem inveniatur.

Iterum, in fide divina actus intelligendi reflexus ita locum centralem obtinet ut tamen sine lumine ex fidei supernaturali et gratuito ipse actus non perficitur.

Quod hoc lumen supernaturale est, ex noto principio concluditur, actus per obiecta specificari.

Iam vero credere mysteria propter auctoritatem divinam est actus supernaturalis, uti ex obiecto, "mysteria," patet.

Pariter ergo supernaturales sunt actus quibus volo credere mysteria, iudico me posse et debere velle credere myxariz mysteria, et perspiccio evidentiam sufficere ut iudicem me posse et debere velle credere mysteria. Idem enim est in singulis obiectum, mysteria.

Idem concluditur ex eo quod actus fidei, electio fidei, iudicium credibilitatis et credentitatis, ex actu reflexo sequuntur et in actu reflexo praecontinentur.

Nisi enim ex actu supernaturali non sequuntur actus supernaturales, et nisi in actu supernaturali non praecontinentur actus supernaturales.

Secus destrueretur ille duplex ordo, principio et obiecto distinctus, de quo DB 1795.

~~4) Quid per lumen fidei fiat.~~

~~Non fit ut obiectum formale intellectus excedatur. Hoc enim obiectum est ens, quod est transcendentale et omnia prorsus quae sunt includit, non solum supernatura sed etiam ipsum Deum unum et trinum.~~

~~Sed fit ut intellectui humano accessibile reddatur quod ita in obiecto formalis includatur ut tamen proportionem naturae excedat.~~

~~Allis verbis, supernaturale considerari potest duplicitas, uno modo, ut ens, alio modo, ut supernaturale. Primo modo, supernaturale iacet intra obiectum formale intellectus, intra scopum naturalis tendentiae intellectus, intra scopum naturalis desiderii intellectus; sed non ideo in illud tenditur secundum suam supernaturalitatem; nam tenditur tantummodo in ens desideratur tantummodo ut ens. Alio autem modo, ubi supernaturale non tantum ut ens sed etiam ut supernaturale consideratur~~

E contra, sicut actus intelligendi reflexus non praecontinetur in praembulis neque ~~extra~~ iis sequitur, per se non ~~requiritur~~ requiritur lumen supernaturale ad praembulis fidei peragenda.

Exemplo sit revelatio divina quae nihil contineret nisi quod naturaliter ab homine cognosci potest etsi non ab omnibus, ~~expedita~~ expedite, ~~firma~~ certitudine, et nullo admixto errore. Quae revelatio per signa externa actualibus signis similima confirmari posset. Neque tamen lumen supernaturale exigere sive circa signa sive circa ipsa revelata.

d' Quid faciat lumen fidei.

a" Intelligimus lumen fidei radicale, scilicet, quod in actu intelligendi reflexo invenitur.

Momentum quaestione in eo est quod ipsum transitum ex ordine naturali ad supernaturalem (quantum cognitionem attinet) in clara luce ponit.

b" Lumen fidei respicit quaestionem, an sit, non quaestionem, quid sit.

~~Per lumen fidei enim non novas easque supernaturales species intelligibiles attingimus. Quam ob causam, mysteria intelligentia, theologo intelliguntur tantummodo ex analogia eorum quae naturaliter cognoscit (DB 1796)~~

Respicit quaestionem, an sit. Nam fundat ~~en~~ iudicium credibilitatis et credititatis. Et iudicium respondet quaestioni, an sit.

~~Non respicit quaestionem, quid sit. Quare differt a scientia infusa per se, quae novas species intelligibiles easque supra naturam humanam accipit, ut ea intelligat quae ab homine naturaliter intelligi non possunt. Iterum differt a dono intellectus, quod spiritui sancto dociles reddimur~~

Non respicit quaestionem, quid sit. Differt ergo a lumine gloriae quo Deum per essentiam seu quidditatem cognoscimus. Differt pariter a scientia per se infusa, per quam naturas seu quidditates intelligimus, quae proportionem nostri intellectus excedunt. Quam ob causam, theologus nisi imperfectam quamdam mysteriorum intelligentiam attingere non potest, eamque ex analogia eorum quae naturaliter cognoscit (DB 1796).

Quia non respicit quaestionem, quid sit, differt ab illo lumine quod docuit P. Rousset, Les yeux de la foi, [Cf. Rech. sc. rel., 1(1910), 241-259; 444-475; 4(1913), 1-36; 5(1914), 57-69; 453-58; L'intellectualisme de S. Thomas, Paris 31936.] Hoc enim lumen non solum ad sufficientiam evidentiae perspiciendam sed etiam ad ipsam evidentiam perspiciendam ponitur; et ideo non solum quaestionem, an sit, respicit, sed etiam quaestionem, quid sit, quae in ~~r~~ praembulis per agendis ponitur.

c" Lumen fidei efficit transitum ex. vero humano ad verum divinum.

Verum humanum est quod homo per propriam experientiam, intelligentiam, iudicium, cognoscere potest ut verum.

Quod verum humanum quodammodo verum divinum includit et quodammodo non includit: includit quatenus naturali rationis lumine concludere possumus existere aliquod verum divinum quod analogice concipimus; non includit quatenus illa cognitio est analogica, et omnis cognitio analogica duplē ~~ixxxxxxi~~ importat ~~ixxxxxxi~~ ignorantiam (nempe, in quo non simile sed dissimile ~~ixxxxxxi~~ obiectum analogice cognitum, et quanti momenti sit haec dissimilitudo).

Per lumen fidei promovemur ad verum divinum quatenus non includitur in velo humano; scilicet ea ut vera habemus quae ultra campum veri humani iacent, quae nisi divinitus revelata essent nobis innotescere non possent (DB 1795).

Unde concludes: motivum fidei non potest esse nisi ipsa veritas divina. Aliter, fides reduci non potest ad motivum quod intra campum veri humani iacet. Aliter, non solum obiectum sed etiam motivum fidei creditur.

Iterum concludes: sicut fides humana, ita fides divina auget extensionem veri, scilicet, numerum mentium in quibus propositiones habentur ut verae; sed ulterius fides divina auget campum veri, scilicet, numerum propositionum quae in mente humana ut ~~xx~~ verae haberi possunt.

Ulterius concludes: ideo fides divina est supernaturalis quia campum veri ~~xx~~ auget; dicit enim accessum ad eam regionem veri quae ultra vires humanas invenitur.

d" Lumini fidei opponitur rationalismus.

Nam per lumen fidei iudicamus nos posse et debere velle ea credere quae ab homine naturaliter cognosci non possunt.

Sed rationalismus contradictorium docet: nos nec posse nec debere pro veris habere ea quae ab homine cognosci non possunt.

e" Lumen fidei et criticismus.

Per criticismum non intelligimus speciem particularem, kantianam, immanentisticam, sed exigentiam illam generalem, nempe, hominem locui non debere de iis quae ~~x~~ non cognoscit et ideo determinandas esse naturam, extensionem, limitationes intellectus humani, ultra quas non est procedendum.

~~Notatur primo valere hanc exigentiam criticam circa ^{ea} quae homo ut homo se cognoscere affirmat.~~

Notatur primo exigentiam criticam non eo sensu esse admittendam ut excludatur sermo de iis quae homo credit. Secus in rationalismum relaberemur.

Notate deinde non directe opponi exigentiam criticam et fidem; fides enim non dicit se cognoscere mysteria sed ea credere.

Notate tertio hominem naturaliter desiderare visionem Dei immediatam sed naturaliter eam non posse consecuti. Sum. theol., I-II, q. 3, a. 8; q. 5, a. 5. Quo naturali desiderio critice stabiliri potest ~~possibilitas ordinis supernaturalis, non sane a philosopho (qui ordinem supernaturalem existere ignorat), sed a theologo.~~ possibilitas ordinis supernaturalis [uti patet, possibilitas hic intelligitur non sensu logico, non sensu metaphysico, sed sensu critico], non tamen a philosopho, sed a theologo.

f Comparantur theologia, fides divina, cognitio humana.

a' In genere, theologia est scientia de Deo. In specie, distinguuntur theologia naturalis, theologia viae, theologia patriae, quarum unaquaeque est scientia de Deo, sed diverso utitur medio tum subiectivo tum obiectivo.

Theologia naturalis Deum attingit mediantibus rebus creatis per naturale lumen rationis.

Theologia viae Deum attingit mediantibus verbo Dei et ordine Corporis Christi per rationem fidei illustratam.

Theologia patriae Deum attingit mediante ipsa divina essentia per lumen rationis lumine gloriae confortatum. Sum. theol., I, q. 12, a. 5 c. et 2m.

Deinceps nomen, theologia, dicit theologia in viae.

Haec viae theologia duplē habet aspectum:
 prout est particularis quaedam scientia, est scientia de Deo
 et de aliis quae ad Deum referuntur. Sum. theol., I, q. 1, aa. 3 & 7.
 prout locum quemdam tenet inter caeteras scientias humanas,
 "... haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas,
 non quidem in aliquo genere tantum sed simpliciter. Cum enim
 sapientis sit ordinare et iudicare, iudicium autem per altiorem
 causam de inferioribus habetur; ille sapiens dicitur in unoquaque
 genere, qui considerat causam altissimam illius generis... Ille
 igitur qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi,
 quae Deus est, maxime sapiens dicitur..." Sum. theol., I, q. 1, a. 6.

b' Comparisonem quam volumus inter theologiā fidem divinam, et cognitionem humanam, invenimus in Vaticano, DB 1795, 1796, 1800, 1820.

	Principium	Obiectum
Cogn. nat.	Nat. lumen rationis	Natura littera cognoscibilia
Fides divina	Lumen fidei	Mysteria, cf. DB 1792, 1820
Theologia	Ratio per fidem illust.	Mysteria imperfecte intelligi

~~Principium ergo subiectivum theologie non est sola ratio et non est sola fides sed tertium ex his compositum, nempe, ratio per fidem illustrata.~~

~~Ad cuius intelligentiam notate obiectum formale intellectus etiam humani est ens, ultra quod est nihil. Comparatur tamen intellectus humanus ad ens, non ut actus totius entis (Deus isque solus), non ut actus suorum intelligibilium (intellectus angelicus), sed tantum ut potentia (Sum. theol., I, q. 79, a. 2). Ita ergo intellectus humanus se habet ad ens, i.e., ad omnia, ut de omnibus quaerere possit, ut omnia cognoscere desiderare possit, etiam ipsum Deum per essentiam divinam (Sum. theol., I, q. XII 12, a. 1; I-II, q. 3, a. 8) Non tamen omnia quae naturaliter desiderantur, etiam naturaliter attinguntur (I-II, q. 5, a. 5); et ideo fit ut per additum fidei lumen ea credamus quae secus nos non innatoscerent et per additum gloriae lumen ea intelligamus quae intellectum creatum exceedunt lumen in via et in patria per additum lumen gloriae ea consequamur quae naturaliter quidem desideramus et tamen naturaliter attingere non possimus.~~

c' Notate aliter ad fidem et theologiam comparari cognitionem humanam, et aliter ad easdem comparari intellectum humanum. Tam fides quam theologia sunt ~~x~~ habitus et operationes intellectus humanarum, sed non ideo sunt operationes cognitionis humanae.

Cuius differentiae fundamentum est quod intellectus humanus plura naturaliter desiderat quam naturaliter consequi potest. Intellectus enim humanus ut intellectus habet obiectum formale (omnibus intellectibus commune) quod est ens; idem intellectus humanus ut humanus habet obiectum proprium quod est quidditas sive natura in materia corporali existens. Propter obiectum formale, intellectus humanus in omnia tendit, omnia est potens facere et fieri, anima est quodammodo omnia, de omnibus quaerere potest, omnia (= ens) cognoscere desiderat. Propter obiectum proprium, non omnia consequi potest intellectus humanus suis propriis viribus; sed tamen lumine fidei adiutus ea credere potest quae Deus revelat; et lumine gloriae confortatus ipsam divinam essentiam per ipsam divinam essentiam intelligere potest.

Fides ergo excedit cognitionem humanam tum principio tum obiecto, principio quatenus lumen fidei est supernaturale, obiecto quatenus mysteria nisi divinitus revealantur nobis innotescere non possunt, DB 1795. Pariter theologia excedit cognitionem humanam, et quidem iisdem rationibus; nam utitur lumine fidei et tractat obiectum fidei.

Sed fides non simpliciter excedit intellectum humanum: nam potentia intellectus seu eius naturale desiderium extenditur ad omne ens, quod includit obiectum fidei; neque per fidem intellectui infunditur species proportionata obiecto fidei, quae species esset sola divina essentia (Sum. theol., I, q. 12, a. 5 c.), et ideo nisi analogice non intelligimus mysteria (DB 1796). Fides ergo intellectum humanum excedit secundum hoc quod per lumen fidei credere possumus verum divinum quod extra et ultra campum veri humani iacet.

Similiter theologia non simpliciter excedit intellectum humanum, et iisdem quidem rationibus uti antea circa fidem.

d' Comparantur deinde fides et theologia, quarum differentia in eo est quod fides tantum credit, sed theologia ad intelligentiam quamdam imperfectam eorum pertingit quae fides credit. DB 1796.

De quibus, cf. Divinarum personarum conceptio analogica, Romae 1957, 1959, pp. 7-51.

Quae quidem intelligentia decursu temporum augetur; aucta autem intelligentia, augetur consequenter scientia; et auctis tam intelligentia quam scientia, augetur illa capacitas omnia ordinandi et iudicandi quae est sapientia. DB 1800.

N.B. S. Thomas, Quodl., IV, a. 18 (q. 9, a. 3): "Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica maxime intendit auctoritatibus... Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem sed ad instruendum auditores ut inducantur ad immunitum intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquireret et vacuus abscedet."

e' Quare reicienda esse videtur illa methodus theologica ~~nuua~~
quae unice consistit in auctoritatibus citandis et auditoribus
certificandis (positivismus christianus, Denzingertheologie).

Primo arguitur ex Vaticano quod docet theologiam posse et
debere aliam mysteriorum intelligentiam assequi: theologia enim
potest, quia ratio per fidem illustrata potest, DB 1796; theologia
etiam debet, nam illa intelligentia est fructuosissima, et theologia
non debet esse minus fructuosa quam esse potest.

Deinde arguitur ex contradictionibus internis istius methodi
positivisticae.

Prima contradictio in eo est quod ipsae auctoritates ~~dassant~~
quam maxime laudant theologiam S. Thomae, quinimo prascipiunt
ut theologia deceatur secundum principia, rationem, doctrinam S.
Thomae. Si ergo audiuntur auctoritates, etiam auditur S. Thomas,
qui tamen explicite docuit nudis auctoritatibus procedere "nihil
scientiae ~~ex~~ vel intellectus" continere sed auditores "vacuos"
relinquere.

Altera contradictio in eo est quod, praetermissa intelligentia
mysteriorum, etiam intelligentia auctoratum praetermittatur
necessse est. Non enim alia est intelligentia mysteriorum laudata
post initium, et alia crescens intelligentia laudata ad finem
cap. 4, sess. III, c. Vaticani (DB 1796, 1800), sed una eademque
est et mysteriorum et decursu temporum ~~esse augens~~. Neque crevit
haec intelligentia contra auctoritates vel praeter auctoritates,
sed in ipsis ~~am~~ auctoratibus hoc ~~augmentum~~ quam maxime est
perspicuum; nihil enim aliud est quam dogmatum evolutio. Qui ergo
intelligentiam mysteriorum non vult, intelligentiam ~~evolutionis~~
~~dogmaticae~~ non vult; qui intelligentiam ~~evolutionis~~ ~~dogmaticae~~ non
vult, intelligentiam dogmatum non vult; qui intelligentiam dogmatum
non vult, non sincere sed fidei theologiam suam in auctoratibus
iisque solis fundat. Quod sincere facit, in placitis cuiusdam
philosophiae positivisticae invenitur, et quidem non secundum
auctorates (qui S. Thomam laudant) sed contra ~~s~~ auctorates
dogmatis evolventis non vult; qui intelligentiam dogmatis evolventis
non vult, intelligentiam auctoratum non vult. Quomodo ergo
in auctoratibus fundari potest theologia quae ipsas auctorates
intelligere non vult? Per contradictionem. Undenam contradictio?
Quia contra auctorates ~~prae~~mittitur doctrina S. Thomae et
placita positivistica intellectu obnubilato acceptantur.

f' Post staticam comparationem fidei et theologiae, ad comparationem
dynamicam attendendum est.

Considerantur ergo antitheses: actus exercitus et actus signatus;
le vécu et le thématique; verstehen und erklären; vita et theoria;
mundus aspectabilis et mundus intelligibilis; subiectum drammatico-
practicum et subiectum theoreticum; experientia et experimentum.

Inter hos terminos antitheticos mediantur admiratio (initium
omnis scientiae et philosophiae, Metaphys., A, 2, 982b 11 ss.),
quaestio problema, quaestio.

E.g., omnes actu exercito dicimus "ego"; intelligimus quid
significamus, nampe, ipsum dicentem; quod dicimus et intelligimus,
hoc ad ipsam nostram vitam pertinet, ideoque est "taken for granted,"
"tout naturel," "selbstverständlich," adeo obvium atque manifestum
ut dubitans insanire videretur.

Testibus tamen evangelistis, Christus Dominus saepius "ego"
dixit. "Sicut" dixit, et "Ego et Pater unum sumus." An sitivit
Pater? An sola natura humana sitivit? An ulla umquam natura humana
sitivit quin aliquis sitiret?

Quae tamen quaestiones aliter aliis temporibus mentem percellunt.
Per decem et novem saecula creditur Christum situisse et unum esse
cum Patre, quin tamen serio moveretur quaestio de conscientia Christi.

g Transitus ex fide divina in theologiam.

a' Post comparationem quasi staticam inter fidem et theologiam, ad comparationem dynamicam transeundum est.

Quae dynamica comparatio duplici perficitur gressu, alio generico qui similes transitus in aliis materialis etiam considerat, alio specifico, qui ad differentias motui ex fide in theologiam proprias attendit.

b' Generice ergo distingui possunt (1) terminus a quo, (2) terminus ad quem, (3) principium transitus, (4) ~~xxx~~ finis transitus, et (5) redditus.

Comparantur terminus-a-quo et terminus-ad-quem uti (1) implicitum et explicitum, (2) actus exercitus et actus signatus, (3) le vécu et le thématique, (4) verstehen und erklären, (5) existenziell und existenzial, (6) vita et theoria, (7) experientia et experimentum, (8) subiectum drammatico-practicum et subiectum theoreticum, (9) mundus vel ~~sp~~ aspectabilis vel interior et mundus intelligibilis.

Principium motus ex termino-a-quo ~~xxx~~ ad terminum-ad-quem est admiratio (initium omnis philosophiae et scientiae, Arist., Metaphys., A. 2, 982 b 11 ss.), quaestio, problema, Fragestellung.

Finis motus seu transitus attingitur, quatenus pervenitur ad explicitum, signatum, thematizatum, explicatum, existentialia, theoriam, experimentum, subiectum theoreticum, mundum intelligibilem.

Pervenitur autem duplici gressu, nempe, concipiendo ut dicatur quid sit, et iudicando ut dicatur utrum res se habeat sicut concepta est.

^{et}
Redditus denique ~~et~~ applicatio expliciti, theoriae, etc., ad casus concretos.

c' Circa terminum a quo et ad quem, principium et finem motus, et redditum seu applicationem, notantur in genere:

Pro diversis rerum aspectibus diversae fieri possunt explicitationes seu explicationes quarum singulae sunt validae et verae. E.g., incipiendo a NT fieri potest grammatica ~~xxx~~ NT, lexicon NT, studium linguisticum, studium stylisticum, studium compositionis quoad modum, quoad tempus, quoad fontes, quoad auctores, quoad notiones geographicas, historicas, morales, doctrinales, etc., etc.

Eiusmodi diversa studia eiusdem rei ponni possunt ~~xxx~~ (1) in contextu ampliori (ex grammatica NT ad grammaticam comparativam, ex linguistica NT ad linguisticam comparativam, etc., etc.), vel (2) possunt mutuo se opitulari secundum organicam quandam interdependentiam diversorum aspectuum eiusdem rei.

Studia possunt esse vel minora, quae ab uno quodam homine perficiuntur, vel maiora quae nisi saeculorum decursu non absolvuntur.

Ipse transitus seu motus potest fieri per modum actus exercitii, per modum vitae, per modum experientiae, per modum intelligentiae. E contra, ipse transitus potest fieri explicite, signate, thematicae, methodice, sub ductu theoriae. Quo in casu, ipsa transitus explicitatio, signatio, thematication, explicatio, theoria, methodus, potest esse erronea vel vera, inadaequata vel adaequata; et ubi

se qui

vel erronea vel inadaequata est, ~~segui~~ potest minor vel maior corruptio ipsius transitus. Unde oriuntur disputationes ~~me~~ de methodo, invocantur theoriae philosophicae, et ipsae diversae philosophiae ad problema criticum cognuntur.

Ubi studium est maius, priora stadia explicationis fieri possunt implicite, exercite, per modum vitae, intelligentiae, experientiae, et solummodo stadia posteriora, ex interventu reflexionis methodologicae, explicite, signate, thematicae, sub ductu methodi et theoriae fiunt.

Progrediente studio, tum ex ~~e~~ thematizatione et explicatione rei iam peractis, tum ex thematizatione et explicatione ipsius processus thematizandi et explicandi, etiam fit progressus ex simplici et quasi nativa admiratione ad quaestiones exacte positas, debite ordinatas, in finem heuristice definitum methodice conducentes.

d' Quae superius (a' et b') diximus, nunc exemplis illustramus.

Petrus morbo laborans Paulum medicum consultit. Morbus ei est in actu exercito; intelligit quidem se morbo laborare quem clare et distincte experientur; sed signare nequit qualis sit morbus, explicare non potest qualis sit eius causa qualve remedium sit adhibendum. Petrum de suis malis narrantem attende audit Paulus; Petro credit Paulus non tamen simpliciter sed secundum quid; quae enim Petrus magni momenti aestimat, ea nullius vel minoris momenti iudicat Paulus; quae parvi vel nullius momenti aestimat Petrus, ea magni facit Paulus. Sed ulterius Paulus Petrum interrogat, et quidem de iis de quibus non cogitavit Petrus, de iis quae nullatenus cum morbo connexa esse duxit Petrus. Quae signa a Petro narrantur, a Paulo intelliguntur ut symptomata accurate concepta, interrogationibus identificanda, morborum discretiva. Quem morbum non experitum Petrus, non per modum experientiae, sympathiae, empathiae, intuitionis, sed per modum experimenti (exactis positis quaestionibus quibus respondetur Ita vel Non) cognoscit Paulus.

Paulum finximus medicum qui tantummodo scientiam iam acquisitam casui particulari applicat. At ipsa scientia medica evolvi debuit. Technica interrogandi patientes elaborari debuit. In ipso casu Petri adesse potuit elementum scientiae medicae ignotum quod Paulus invenit, examinat, explorat, unde et articulum ad periodicam medicam mittit.

Aliud exemplum sit Petrus testis coram Paulo iudice. Iterum Paulus narrationem Petri per interrogaciones complet. Et interrogat quidem non ut ius legesque addiscat sed ut facta determinentur. Ex Quamvis Petrus facta melius quam Paulo ignorante cognoscat, interrogat tamen Paulus ut facta cognoscat, non uti a Petro apprehenduntur, sed uti sunt iuridica, uti sub legibus cadunt.

iuridice Ex factis exercitis ad facta ~~iudicis~~ signata proceditur; ex tragedia vitae humanae ad thematizationem ~~iudicis~~ legalem transitur; ex intellecta iniustitia ad crimen codice explicatum et definitum movetur; ex experientia ordinaria et confusa ad cognitionem per modum experimenti (singulis elementis seorsim ~~ex~~ claris et distinctis indicis) proceditur.

Quo ex exemplo transiri potest ad historiam iuris, ad fundamenta seu philosophiam iuris, ad intelligentiam historiae per fundamenta; unde et colligi potest quae dicitur die Wendung zur Idee, scilicet, dimensionib[...] und theorieb[...]

tendentia ex vita in theoriam, influxus theoriae in vitam, tensio inter vitam et theoriam, processus denique quo pedetentim ipsa vita magis magisque per theoriam informatur et viciissim ipsa theoria, eti in altissimis principiis fundata, magis magisque particulariter determinatur et exigentiae vitae adaptatur.

Tertium sit exemplum unusquisque sibi ubi dicit "ego": e.g., ego adsum, ego sum fatigatus, interesse admodum parvum in hac materia habeo ego.

Omnis dicimus "ego"; et dicentes, optime intelligimus quid significemus; iam pridem intelligimus; neminem umquam invenimus qui nesciat quid significet quando "ego" dicat. Adeo obvium atque manifestum est "ego" ut insanire videatur qui de eo dubitaret, quaerat, investiget. Ad illud rerum genus sane pertinet quae sunt "taken for granted," "tout naturel," "selbstverständlich."

Quae quidem omnia verissima sunt quoad actum exercitum, le vécu, verstehen, existenziell, vitam, experientiam, subiectum dramatico-practicum. At hoc minime impedit quominus fiat transitus ad actus signatos, ad le thématique, ad erklären, ad existenzial, ad theoriam, ad ea quae per modum experimenti quodammodo verificantur, ad subiectum theoreticum mundumque intelligibilem.

At ipse hic transitus diversi odie effici potest: metaphysice, gnostiologice, psychologice, ~~phæn~~ phænomenologice, linguistice. Singuli ~~g~~ transitus terminantur ad contextum longe maiorem pure metaphysicum, pure gnoseologicum, pure psychologicum, pure phænomenologicum, pure linguisticum. At iterum omnes transitus, ~~quatenus~~ quatenus ad concretum reducuntur, mutuo se opitulantur quasi diversos eiusdem rei aspectus illuminant, et etiam mutuo sibi pugnant quatenus synthesin quamdam concretam diversorum ~~em~~ aspectuum exigunt.

Sed et ulterius in historiam thematizationis tou "ego" regredi potest. Diu dicebatur "ego" quin thematizaretur. Primo, forte, grammaticae facta est thematizatio: "ego" est pronomen personale primam personam denotans. At implicita forte iam aderat thematizatio ~~sub alia nomine, puta, in mythis de umbris, de psyche, de immortalitate, sicut postea in philosophicis speculationibus de iisdem, in psychologia S. Augustini quae de "mente" quam plurima disseruit. Etc., Etc.~~

e' Mens symbolica, cultura classica, conscientia historica.

Hos adhibemus terminos (1) ut diversas habitudines inter vitam et theoriam significemus et (2) ut consequentes tendentias designemus quae diversa stadia in historia generis humani modo quodam schematico distinguantur.

~~Vita humana potest esse talis, ut ad minimum reducatur signatio, thematizatio, explicatio, theoria. Quod tamen non facit ut quaestiones theoreticae suo modo non oriантur.~~

Mens ergo symbolica est ubi vivitur sine theoria, ubi signatio, thematizatio, ~~et~~ explicatio vel nullae sunt vel minimae. Quod tamen non facit ut nulla sit admiratio, nullae quaestiones, nulla problemata. Tantummodo facit ut quaestiones et responsa, problemata et solutiones, symbolice evolvuntur.

Cultura classica non tantum vivit sed etiam theoriam colit. Quod tamen ita facit ut antitheses inter vitam et theoriam vel mitigentur vel supprimantur. Theoria re vera in magnis philosophis et in veris scientiarum cultoribus habetur; sed eadem ab ~~em~~ "excultis" participatur, non qua theoria est, non qua subiectum theoreticum in mundo intelligibili versans exigit, sed prout a scholarum magistris ad captum discipulorum docetur, prout intra limites sensus communis quodammodo recipitur, prout facta est "la haute vulgarisation." E contra, vita in sua diversitate, multiplicitate, mobilitate, particularitate, spontaneitate, irrationalitate, ita vivitur et agnoscitur ut tamen

haec omnia, quippe temporalia et contingentia, quodammodo praetermittantur et ipsa vita per principia generalia, ~~per~~ per idealia, per exemplaria, per praecepta, per "hominem prout sempiternis rationibus esse debeat" apprehendatur. "Plus ça change, plus c'est la même chose."

Conscientia historica non solum vita et theoriam addit sed etiam antitheses inter vitam et theoriam in clara luce ponit. Thematizatur processus thematizandi, signatur processus actum exercitum signandi, explicatur tum intelligentia quae technice non explicat tum intelligentia quae technice explicat (verstehen und erklären), methodi procedendi e vita in theoriam methodice excoluntur, subiectum fit conscientium sui tum ut drammatico-practicum, tum ut theoreticum, tum ut interius principium obiectivandi mundum aspectabilem, mundum theoreticum, mundum interiorem, etc.

Theoria excolitur secundum proprias exigentias, secundum antithesin ad vitam: cogita quam abstrusa sit logica moderna, philosophia moderna ~~maxime~~ systematica, critica, transcendentalis, methodica, scientiae modernae in parte sua theoretica, uti physica, chemia, etc.

Vita agnoscitur in ipsa sua tensione cum theoria, simul cum tendentia ad theoriam et exigentia theoriae. Agnoscitur in ipsa sua multiplicitate, diversitate, mobilitate, particularitate, spontaneitate, irrationalitate. Scientia vitae quaeritur, non per abstractionem a temporalibus et ~~etiam~~ contingentibus, sed per intelligentiam et explicationem ipsorum temporalium et continentium, secundum eorum evolutionem historicam. Ipse philosophus vel scientificus ipse se cogitat (1) ut productus ab ambiente historico-sociali, quamdiu ad conscientiam historicam non pervenerat, et (2) quam primum ad conscientiam historicam pervenit, ut ~~per cognoscendam~~, criticum, iudicem, actorem eiusdem processus historico-socialis.

(h') f' His in genere positis de transitu, iam specifice considerandus est transitus ex fide divina in theologiam. Primo, ponitur exemplum quoddam contemporaneum. Deinde, idem exemplum analysi subicitur secundum topicia generica iam indicata. Tertio, ad considerationem generalem transitus ad theologiam proceditur.

g' Exemplo sit argumentum circa conscientiam Christi humanam ab E. Gutwenger positum, Bewusstsein und Wissen Christi, Innsbruck 1960, pp. 47-78, ubi tria sunt capita, nempe, I, 3: Die Ichaufragen Christi in den Evangelien, pp. 47-55, I, 4: Das Ich in der psychologischen Erfahrung, pp. 55-68, I, 5: Die menschliche Icherfahrung Christi, pp. 68-78. Quae tria capita ad hoc fere schema logicum reducuntur, ut capite tertio proponitur praemissa minor, nempe, haec et haec tali sensu a Christo homine esse dicta, capite ~~et~~ quarto proponitur praemissa maior, nempe, quemadmodum e dictis ad ipsam experientiam psychologicam concludendam procedendum sit, et capite quinto concluditur de conscientia Christi humana.

Re vera tamen ipsum schema logicum naturam argumenti parum manifestat. Id quod fit est signatio et thematizatio et explicatio datorum evangelicorum in quibus Christus "ego" dixit. Quae quidem explicatio non per se sola et isolata stat, quasi nemo umquam dicta vel facta Christo thematizavit, sed maximum quemdam praesupponit contextum dogmaticum atque theologicum, unde et habetur elaboratissima Fragestellung, et urgetur valde complicata cohaerentiae exigentia.

Unde quattuor distinguenda veniunt: ipsa generalis quaestio (a"); quaestio quae P. Gutwenger occurrit (b"); responsum ab evangelistis quae situm (c"); responsum a P. Gutwenger datum (d").

a" Omnes semper Christiani et legebant et intelligebant loca evangelica in quibus "ego" a Christo homine dicitur: Ego dico vobis; Sitio; Antequam Abraham fieret ego sum; Ego in Patre et Pater in me est; / Eadem loca a Patribus thematizata sunt in controversiis et conciliis christologicis et, ulterius, a theologis qui de ontologia unionis hypostaticae disputaverunt. At nisi his ultimis decenniis inter theologos catholicos eadem loca sub aspectu psychologico non sunt thematizata.

Quam ob causam, ipsa generalis quaestio est nova et ideo nobis exemplum praebet in quo thematizatio examinari potest quin longiora atque difficiliora studia historica fiant.

~~Quaestioni generalis elementa fere sunt: quemadmodum ex communione intelligentia tui "ego" ad psychologicam explicationem subiecti psychologicici procedatur; quemadmodum haec psychologica explicatio cum ontologica expositione personae humanae integretur;~~

Quaestioni generalis elementa fere sunt: dogmata christologica inter catholicos recepta; diversae sententiae theologorum circa unionem hypostaticam; problema determinandi quid praeceps sit subiectum psychologicum; problema integrandi theoria psychologica de subiecto cum theoria metaphysica de subsistente; problema procedendi analogice ex theoria de subiecto et subsistente ad illud subiectum subsistens quod est Christus Deus et homo.

b" P. Gutwenger, vestigiis P. Galtier premens, pariter tenet Tiphylum caeteris theologis melius exposuisse unionem hypostaticam. Ubi autem P. Galtier concludit personam Christi non inter data conscientiae Christi hominis dari, quia persona uti a Tiphano concipitur ordinis non psychologicci sed tantummodo ontologicci est, dubitat P. Gutwenger.

Nam qui experientiam suam psychologicam vel leviter examinat, alio modo "tu" et alio modo "ego" conscientiae humanae advenire iudicat; ~~inveniuntur~~ quod enim ut "tu" experimur, illud ex parte obiecti nobis sistitur; quod autem ut "ego" experimur, illud ex adversa parte subiecti sistitur.

Ulterius, si in conscientia Christi humana non adest divina persona nisi per visionem beatam (uti voluit P. Galtier), sequitur divinam personam non adesse nisi per modum obiecti, nisi per modum alicuius "tu."

Unde oritur quaestio prout a P. Gutwenger evangelistis ponitur: An dixerit Christus homo "ego" eo sensu quo persona ut persona significetur?

c" Cui quaestioni exacte propositae respondent evangelistae abundant. Longior series textuum citatur in quibus "ego" a Christo dicitur et persona ut persona (e.g., relationibus interpersonalibus implicata) significatur, pp. 50-55.

~~Sed tamen invocentor evangelistae, non ut interrogentur quasi professores a discipulis, sed quasi testes coram iudice, quasi morbo laborantes coram medico~~

Qui quidem usus sacrae scripturae ad modum experimenti est. Sicut medicus a patientem interrogat, non ut mentem eius exploret, non ut sentimenta eius participet, sed ut signa a paciente nota interpretetur et morbi symptomata pedetentim colligat; vel iterum sicut iudex testem interrogat ut ea facta eaque sola cognoscat quae ad legalem rei conceptionem faciant; ita P. Gutwenger quaestionem exacte conceptam evangelistis proponit. "Hier kommt es lediglich

darauf an, festzustellen, was Christus meinte, wenn er in seinen Aussagen das Wortlein 'Ich' verwendete." p. 48.

Quia interrogatio evangelistarum est ad modum experimenti, ea seliguntur loca scripturistica quae fini experimenti satisfaciunt; sufficeret quidem unus locus in quo indubie "ego" a Christo dictum personam ut personam significaret; sed multitudo mininem invenit P. Gutwenger eaque sub variis capitibus ordinata seriatim cum brevissimo commentario citat.

Quare ipse suum procedendi modum sic descripsit: "Im folgenden soll nun ein schematischer, durchaus nicht alles umfassender Überblick über die Personalpredikationen Christi geboten werden. Das Material, ~~da~~ das sich anführen lässt, ist derart ~~so~~ überwältigend, dass kein berichtigter Zweifel gegen die Tatsache vorbringen lässt, dass mit dem Gebrauch des Wörtleins 'Ich' in den Selbstaussagen Christi nur eines bezweckt ist, nämlich die Person Christi zu bezeichnen." p. 50.

Pariter missas facit omnes quaestiones, quas ob alios fines movere possunt ~~et~~ expositae, circa Formgeschichte, modum compositionis, chronologiam, etc. Unum tantum vult, nempe, Christum ea substantialiter dixisse quae in evangeliis ei attribuuntur. P. 47 s. Cuius omissionis ratio est, eadem verba multis et diversis modis ad thematizationem produci posse, neque tamen ideo omnes modos semper esse adhibendos, sed eos tantum qui ad finem inquisitionis faciunt.

d" Ex ~~hunc~~ responso evangelistarum ad responsum suum denique procedit P. Gutwenger. Sicut enim alio in contextu signa morbi a paciente narrantur, et alio in contextu eo que scientifico a medico collocantur, sicut pariter alio in contextu ~~pankreas~~ testimonium a teste concipitur, et alium contextum ~~et~~ eumque iuridicum a iudice transfertur, ita pariter procedit P. Gutwenger.

Quod intra contextum vitae/actu exercito a Christo dictum est, quod intra contextum vitae et actu exercito ab evangelistis narratum est, hoc a P. Gutwenger in contextum dogmaticum, theologicum, metaphysicum, psychologicum transfertur. Sicut concipit Tiphanus unionem hypostaticam tamquam totum ex natura humana et persona aeterna Verbi constitutum, ita P. Gutwenger totum quoddam compositum sed psychologicum concludit in quo in Christo homine habentrum centrum actuum humenorum tum etiam huius centri adunatio ad Verbum praesens ex parte subjecti.

~~b" Fundamentum huius processus est transcendentia veri~~

~~b" Huius argumenti seu processus analysi peracta, statim oritur quaestio de eius valore. Et in primis illud queritur, quemadmodum fieri possit ut de ~~in~~ contextu in contextum aliud procedatur. Nonne exemplum, quod dedimus, perfecte illustrat dogmaticum illum procedendi modum qui ex fragmentis scripturisticais undique collectis arguit, qui intentionem, mentem, occasionem auctoris inspirati praetermittat, qui derelicto verbo Dei in sensu suo genuino novas et inauditas ponit quaestiones ut ~~contextum~~ doctrina quedam speculativa parumque ad aedificationem, multum ad disputationem faciens, elaboretur?~~

~~At haec obiectio multas simul movet quaestiones, necue omnibus statim respondere intendimus. Adhuc nisi unum non diximus, nempe, quemadmodum a P. Gutwenger ex evangeliis ad concpcionem conscientia Christi humana processerit~~

h' De transitu in theologiam modo generali.

Quae iam in casu particulari vidimus, iam modo generaliori sunt dicenda. Primo, ergo, de constantibus seu invariantibus elementis dicemus, nempe, (1) de contextu praesupposito, (2) de modo thematizandi, et (3) de usu fontium. Deinde, ulteriora addentur circa ipsam methodum temporum decursu sese evolventem.

a" De contextu praesupposito.

NT praesupponit VT. Fides ~~am~~ ecclesiae praesupponit et scripturas et traditionem apostolicam. Incipiens theologia supponit fidem ecclesiae. Theologia incepta supponit et fidem et praeviā theologia et philosophiam illam christianam quae implicite in theologia continetur.

Contextum quemdam praesupponi constans et invariabile est. Sed ipse qui praesupponitur contextus temporum decursu per evolutionem dogmatum et profectum theologiae continuo augetur.

Quinam sit ille contextus, anemadmodum auctus sit, quali certitudine vel probabilitate singula eius elementa recipiantur, quaerunt, disputant, docent theologi.

Quo ex contextu procedit omnis quaestio nova, tum quoad definitionem quaestioneeris, tum quoad criteria quae solutionem perpendunt, ponderant, iudicant.

Quem in contextum recipitur novae cuiusque quaestioneeris solutio, et quidem uti possibilis, vel probabilis, vel certa, vel theologicice certa, vel de fide definita, etc.

At omnis quae consideratur quaestio aut nunc aut olim nova erat quaestio. Quam ob causam, totus contextus theologicus quasi summatio quaedam et integratio est omnium solutionum quae aliquando intra contextum sunt receptae.

Iam vero clarius quodammodo et distinctius perspicitur transitus e fide in theogiam, ubi nova ponitur quaestio et nova recipitur solutio, ubi augetur contextus theologicus, quam iis in exemplis ubi acute sane et sollerter arguitur sed nihil fere efficitur theologicae nisi illa traditio repetitio quam nova queque exigit generatio. Quam ob causam exemplum posuimus ex recentissima quaestione de conscientia Christi; et pariter in aliis exemplis historice ad illud tempus recurremus quo primo mota et soluta est nova quaedam quaestio.

a Haec contextus praesuppositio non solum facit ut inquisitio theologica numquam sine suppositis fiat sed etiam post inceptam theogiam semper auget, ut ita dicam, distantiam inter contextum originalem et biblicum et contextum postea auctum et theologicum.

Quo autem magis augetur haec distantia, eo ~~magis~~ clarius et distinctius appetet theogum scripturas adire easque scrutari atque interpretari, non ad modum discipuli cuius intellectus fere tabula rasa est in qua nihil est scriptum, sed ad modum medici vel iudicis qui verba patientis vel testis in suas categorias transponit.

vel
sive

Quem enim in P. Gutwenger procedendi modum deprehensimus, ut ex recenti quadam occasione problema ~~habent~~ habuerit, ut luce contextus dogmatici, theologici, philosophici, psychologici determinatam quamdam quaestionem formularit, ut ex scripturis non repetierit nisi isolati cuiusdam facti claram certamque determinationem, ut ~~hac~~ hanc determinationem e contextu biblico in suum et praeformatum contextum transtulerit, eundem fere procedendi modum, pro diversitate temporum minus vel ~~mix~~ plus explicitum, sive in Patribus, sive in Scholasticis, sive in subsequentibus theologorum aetatis, observatum invenies.

*Augustinum
contra Pelagianos*
ad

Quod positive probabis legendo Tertullianum adversus Praxean, Athanasium adversus Arianos, Basilium de Spiritu sancto, Cyrillum adversus Nestorium, Leontium de monophysitis, Maximum confessorem de monothelytis. Quod in ipsa technica quaestio mediaevalis conspicitur, quae ex oppositis testimoniis problema ducebat et in iisdem reeconciliatis speculative reconciliatis solutionem quaerebat. Quod denique in tractatibus, commentariis, manualibus theologicis communiter inveniebatur et recentius a rei biblicae peritis impugnatum est, x sane phantasma non fuit sed realitas quae mutanda ducebatur.

Ita

Idem vero etiam negative concludes, cum conscientiam historicam animadverteris et contextus tempore fere distinctos non semper existisse sed ultimis his saeculis esse inventos sensimus sine sensu sparsum atque receptam.

Idem etiam negative concluditur. Quae enim dicitur conscientia historica, quae sedulo diversos et sibi succedentes contextus distinguit, non omnium temporum est sed recentioris. Quare, qui conscientiam historicam habet, similem Patribus et Scholasticis non attribuit; qui vero non habet, Patres et Scholasticos sibi similes dubitare non potest.

b¹ De transitu theologicico generaliora.

Ideo exemplum posuimus ut ad generaliora transeamus. Et in primis tria veniunt dicenda: (1) de modo thematizandi, (2) de contextu unde procedit quaestio et in quo recipitur responsum, et (3) de usu fontium et praesertim sacrae scripturas. Deinde, considerandas sunt differentiae quae decursu temporum sunt ortae.

b²" De modo thematizandi theologico.

Idem textus in multos et diversos fines adhiberi potest, e.g., NT ut grammaticam scribas, ut lexicon componas, ~~etc~~ ut mentem palaestinensem vel hellenisticam investiges, etc.

~~Theologo dogmatico textus NT est verbum Dei qua verum. (3) ut occursus verbum quidem sumi potest (1) ut eventus, (2) ut expressio, vel Ut eventus, consideratur historice: an re vera talis scripsit, an tali tempore, an ad tales; an re vera ipsa haec verba scripsit. Ut expressio, consideratur psychologicice: qua mente, quo affectu, qua sensibilitate~~

Theologo dogmatico textus NT est verbum Dei qua verum.
Verbum (simum articulatum cum sensu, elemento intentionalis) sumi potest (1) ut eventus, (2) ut expressio, vel (3) ut occursus.
Ut eventus, consideratur historice. An Paulus re vera scripsit?
An tali tempore, tali intentione, ad tales? An ipsa haec verba scripsit?

Ut expressio, consideratur psychologicice. Ex qua mente, quo affectu, qua sensibilitate, qua voluntate processerunt haec verba? Ita maxime in hermeneutica romantica (Winckelmann, Schleiermacher, Dilthey) qui interpretem voluerunt per empathiam quamdam (Einfühlen) ita mentem, affectum, sensum, voluntatem auctoris penetrare, ut dicere possit cur singulae fere phrases sic et non aliter sint formatae.

fæ Ut occursus (Begegnung, meeting), consideratur secundum relationes interpersonales, de quibus abundantia personalistae, phaenomenologici, et psychiatris. Quo in casu thematizatio considerat mutuum influxum personae in personam qui mediantibus verbis producitur. Est consideratio psychologica quasi duplicata, cum duae personae secundum psychologiam considerantur et secundum mutuum influxum psychologicum.

Praeter quos aspectus (qui omnes valide per modum thematis sumi possunt) manet aspectus verbi ad rem quae intenditur, dicitur; secundum quem aspectum verbum aut verum est aut falsum.

Iam vero dogmaticus ideo scripturas adit ut addiscat id quod a Deo dicitur, id quod a Deo docetur. Quod sibi per modum thematis assumit, est verum a Deo revelatum.

Ita P. Gutwenger eventum aliunde stabilitum supponit, nempe, Christum dixisse "ego," quaestionem psychologicam ponit, nempe, ex qua experientia interna processerit illud dicere "ego," sed hanc quaestionem psychologicam non per hermeneuticam romanticam resolvit sed per sensum eius quod in scripturis dicitur et per veritatem istius sensus.

Quod autem a P. Gutwenger factum est, idem universaliter apud Patres et theologos invenies. Assumunt scripturas in thema prout sunt verbum Dei, cui nefas est contradicere, cui ab omnibus fidelibus consentiendum est. Unde et formula illa quam maxime dogmatica, "Si quis dixerit... anathema sit."

^{b4} ~~U~~ tria praecipue sunt notanda.

~~Primo, aliud est explicite assignare modum thematizandi theologicum; aliud est talem modum adhibere, quin tamen explicite signetur; tertium denique est verbum Dei invocare, quin de fine theologicō cogitetur, imo quin explicite de veritate verbi Dei quidquam dicatur. explicite Quibus distinctis, procedere poteris ab iis quae sunt quam maxime implicita ad ea quae sunt quam maxime explicita.~~

E.g., ubi Paulus, Gal 1, 8: Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Non explicite ~~maximamente~~ dicitur quidquam de veritate, de immutabilitate veritatis, de veritate evangelii iam evangelizati, sed eo modo concrete procedit qui theoretice iustificatur per immutabilem evangelii veritatem. Stadia ulteriora quodammodo indicata invenies apud Lonergan, De Deo Trino, pp. 132-137; 88-95.

Deinde, ubi in thema assumitur verbum qua verum, eo ipso assumitur quod de contextu in contextum transferri potest.

Quod verum de contextu in contextum transferri potest, ex ipsa veri transcendentia habetur. Quod enim verum est, independens a subiecto est, rationem quamdam inconditionati et absoluti habet. Quod autem ita independens, inconditionatum, absolutum est, illud non ita huic tali contextui religatur ut idem in alio contextu dici non possit.

Quam sane translationem non admittit verum ut eventus, ut expressio, ut occursus; quod enim circa haec transfertur est verum de eventu, verum de expressione, verum de occursu.

*ut rectitude
invenientur* Neque translatio fundatur nisi in veritate iudicii, in vero quod dicit independentiam a subiecto, inconditionatum, absolutum; ita ubi verum intelligitur ut res sese manifestans, ut obiectum experientiae et intelligentiae, ibi non habetur transcendentia quae in veritate iudicii invenitur et translationem in alium contextum admittit.

Quare, sedulo notandum est quantum differt hic processus dogmaticus in transcendentia veri fundatus a processu hermeneuticae romanticae qui in reproductione quadam consistit. Scilicet, interpres secundum principia romantica ad interpretationem adaequatam pervenit ubi in se reproducere potest quod in auctore factum est. In processu dogmatico per transcendentiam veri legitimatur transitus e contextu in contextum. In processu romantico, quantum fieri potest, eliminatur diversitas contextus.

Denique, quamvis possilitatem transitus e contextu in contextum in transcendentia veri fundemus, minime inde concludere licet sensum eius quod est verum aliunde repeti quam e contextu originali in quo verum primo enuntiatur. Interpres primo debet intelligi sensum auctoris ad mentem auctoris et deinde debet secundum exigentias alterius contextus illum iam determinatum sensum verum exprimere. Nihil plus per transcendentiam veri legitimatur.

Tertio, aliud est datum in thema assumere et aliud est verum in thema assumere.

Qui datum in thema assumit, ut illud intelligat atque explicet, in via est ad verum quoddam inveniendum. Quod quidem primo inveniet quando reflectitur super datum intellectum et explicatum, evidentiam ponderat, iudicat.

Qui autem verum in thema assumit, ut illud intelligat et explicet, verum inde ab initio habet, neque in aliud tendit nisi in idem verum plenius per intelligentiam et explicationem possidendum.

Ita qui methodo philologico-literarii utitur et evangelia considerat, problema synopticum invenit. Evangelia ei sunt ut data, quae per theoriam vel fontium vel formarum secundum modum compositionis intelliguntur et explicantur; at haec intelligentia, haec explicatio, non est veri quod ab evangelistis dicitur, quamvis esse patet possit verum quod in evangeliis ut datis fundetur. E contra, dogmaticus id ipsum quod in evangeliis ut verum preponitur dogmaticus intelligentiam querit, non evangeliorum ut datorum, sed illius veri quod maxime in evangeliis dici et doceri creditur.

b) De contextu theologico.

In exemplo P. Gutwenger vidimus theorum minime sine ullis procedere suppositis (Monusatzungswahl) sed contextum quendam quam maxime evolutum atque complicatum et praesupponere et adhibere.

Quod minime significat P. Gutwenger vel alium dogmaticum illud assumere (quod probatur ut falsum), nempe in mente Matthei vel Marci, Iucae vel Ioannis, adfuisse illas categorias dogmaticas quae in conciliis Ephesino Nicaeno, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano III adhibitae et multo minus eas quae inter Thomistas, Scotistas, Tiphani vel Suarezii sequentes disputantur, et minime eas quae recentissime inter theologos de subiecto psychologico investigantur.

E contra, sicut iudex non praesupponit categorias iuridicas in mente testis, sicut medicus non praesupponit categorias medicas in mente patientis, ita theologus suum habet contextum proprium et theologicum et ad hunc contextum augendum et perficiendum scripturas adit.

A scripturis quaerit verum, quod in scripturis determinatum per transcendenteriam veri in alium et suum contextum determinandum transfert.

Qui quidem processus est ipsa praemissa maior argumenti dogmatici: si haec et haec hoc sensu in scripturis leguntur, tunc in contextu dogmatico hoc aliud (non in scripturis non explicite dictum) est vel affirmandum vel negandum.

Patet sane valor conclusionis theologiae non solum ex vero scripturistico pendere sed etiam ex veritate contextus unde oritur quaestio et quo ponitur responsum.

Ex scripturis habet P. Gutwenger per conscientiam Christi humanam Christi uniuersitatem personam non ut obiectum, ut "tu," sed ut subiectum, ut "ego."

Sed ex c. Chalcedonensi habet in Christo Deo et homine non esse nisi unam personam, eamque divinam.

Ex scripturis habet P. Gutwenger Christum hominem "ego" dixisse et personam suam significasse.

Ex Chalcedoni habet in Christo Deo et homine non esse nisi unam personam eamque divinam.

Ex Tiphano habet quae theoria ontologica de unione hypostatica sentit.

c" De usu fontium et in primis scripturae.

Quo magis contextus biblicus et contextus theologicus distinguuntur atque separantur, eo magis etiam distinguuntur et separantur scientia biblica et theologia dogmatica. Qua distinctione et separatione peracta, interpretatio scripturae ad exegesiam pertinet, neque plus facit dogmaticus quam usum scripturae interpretatae.

Sane omnis differentiatio integrationem praeparat atque exigit; de praesenti tamen agitur de ipsis integrandis clare et distincte apprehendendis, ut postea de earum integratione tractetur ubi de theologia positiva et de theologia ut sapientia.

~~Qui quidem usus est ad modum experimenti
Quod quid significet, breviter declarandum~~

Qui quidem usus est ad modum experimenti. Quod quid significet per comparationem experientiae et experimenti declarari oportet.

Vivendo experimur. Ortis quaest onibus, sponte ad experientiam attendimus et secundum eam iudicamus. Quae tamen attentio, qui experientias usus, minime thematizatur nisi forte per transumanam. Quo tamen modo omnia fere addiscimus, omnem peritiam acquirimus, omnem inventionem facimus.

Qui autem experimentum facit, ipsam experientiam in thema assumit. Ex elaborata conceptualizatione procedit, quaestiones distinguit, easque exacte definit et secundum progressum quemdam inter se ordinat. Quibus rite peractis, ad experientiam reddit ut ea seligat quae ad suam rem faciunt, ut e selectis et accurate examinatis quasi responsum seu decisionem minime exauriat ad suas quaestiones resolvendas.

At ipse hic usus ad modum experimenti supponit textum iam opere exegeticamente interpretatum. Quod tamen suppositum saepe eo modo verificatur ut complures sint interpretationes eiusdem loci. Quinimo, etiam ubi non habeatur nisi unica loci interpretatio, verendum est ne ea non sit nisi probabilis; sicut enim caeterae scientiae empiricae, ita etiam exegistica ea lege efformatur et progreditur ut per theorias probabiles per probabiliores perpetuo corrigat quin unquam ad plenam certitudinem perveniat.

Scientia enim exegistica notissimo circulo hermeneutico fertur. In obiecto enim intentionalii non solum sensus totius et partibus dependet sed etiam sensus partium et sensu totius. Neque ipsum totum nisi ~~xxx~~ modo quodam relativo "totum" est: omnis enim contextus ut pars maioris cuiusdam contextus considerari potest, ut iterum et aliter oriatur mutua dependentia partium et totius.

Quibus perspectis, dogmaticus non otiosus exspectat ~~xxx~~ donec scientia exegistica omnibus numeris absoluta perficiatur; sic enim ad diem iudicii ultimi forte exspectaret. Sed ea quaerit et adhibet artifia quibus aliquid certum, etsi breve et tenue, iam nunc determinari possit.

~~Ita definitiones heuristicae adhibet. E. g., que sensu dicitur "Logos" in prologo Ioannis? Respondet: Logos ~~est~~ ~~xxx~~ est X. At quid utilitatis in eo habetur quod Logos ut X designatur. Parvum sane sed clarum et exactum. Nisi enim textus radicaliter commutatus erit, pro omni semper exegeta illud X erit quod erat in principio, erat apud Deum, erat Deus, erat per quod omnia facta sunt, et caetera quae de Logos dicuntur in ipso prologo Ioannis.~~

a) Ita definitiones adhibet heuristicae quae non solum futurum scientiae exegeticae progressum effugiunt sed etiam obscuriora ad clariora reducunt.

E.g., quid in prologo Ioannis significetur per Logon? Respondetur: in prologo Ioannis Logos est X. Et ex ipso prologo Ioannis non pauca de hoc X cognoscimus. X enim erat in principio, erat apud Deum, erat Deus; per X omnia facta sunt; et caetera quae in ipso prologo leguntur.

Quae quidem notionis Logi determinatio ~~minim~~ futurum scientiae exegeticae progressum effugit. Omnis enim exegeta futurus ex ipso textu incipere debet et ea ipsa, quae in textu dicuntur, non eliminare sed explicare. Scilicet eamdem definitionem Logi heuristicam accipiet, ~~accommode~~ qua iam utitur dogmaticus.

Sed praeterea haec definitio heuristica reducit obscuriora in clariora. Etsi enim de sensu nominis, Logos, dubitemus, minus tamen de "principio," de "apud," de "Deo," de eo per quem omnia facta sunt, dubitare possumus.

b) Ita enumerationes eiusdem facit.

E.g., si vel unico in loco Christus "ego" dixisse et personam significasse exhiberetur, intentum suum habuisse P. Gutwenger. At permulta eiusmodi loca invenit, et permulta recitat. Quae enumeratio logicam argumenti non auget, sed fundamentum valde confirmat.

Si enim unicus esset locus, exceptionem suspicaremur. Si per paucum essent loci, brevior et facilior esset labor refutantis. Ubi ~~continuo idem reccurrit, ibi aliter in ipsius datis reponitur argumentum~~ ~~fundamentum ut subsequens scientiae exegeticae progressus potius~~ continuo idem reccurrit, ibi habetur argumenti fundamentum tam alte in ipsis datis repositum ut in subsequenti scientiae exegeticae progressu potius datum explicandum quam explicatio corrigenda consideretur.

c) Ita similia cumulat.

Ipsum enim NT non perpetuo ~~maxima~~ alia et nova proponit, sed potius eadem ex diversis perspectivis pro diversis adiunctis in diversos fines recitat.

Quod factum in suam utilitatem vertit dogmaticus. Quae enim ita repetuntur, longe difficilius in diversas partes easque semper mobiles ab exegetis trahi possunt, quam quae semel dicuntur, per transennam tanguntur, vel aliter minus arcte cum reliquo NT contexuntur.

d) Ita notiones ~~sese~~ evolventes exhibet.

E.g., quisnam sit Iesus. Cui quaestioni in NT multiplicitate respondetur. Fer modum actus exerciti, implicite, per modum vitae: ubi exhibetur potestas miraculorum, potestas remittendi peccata, auctoritas corrigendi VT, auct ritas exigendi amorem et servitatem omnium hominum, potestas redemptoris, potestas iudicis universalis. ~~Ex~~ Deinde thematicae sed ad modum sensus communis per titulos et honores, et quidem secundum diversas perspectivas exspectationis (Messias), originis, vitae praesentis, anticipati futuri (Filius hominis), inthronizationis messianae (Dominus, Filius Dei), etc. Denique per modum inceptae theologiae: per quem omnia, in forma Dei, ~~Filius~~ sine addito, Patri aequalis, unum cum Patre.

~~Quod argumenti genus artificiis prioribus novum addit, nempe ipsum processum crescentis reflexione, thematizatione, qui magis in ipsis datis reponitur et inter explicanda manebit quam explicatio~~

vim /

Logos,

Quod argumenti genus ab opere exegetico distingui oportet, quamvis ~~et~~ ei proprius accedere videatur.

Ubi enim dogmaticus e proprio suo et theologico contextu quaestiones haurit et criteria definit ut responsa e scripturis accepta in contextum theologicum transferantur, exegeta quaestiones suas ex ipsis scripturis habet.

Ubi dogmaticus suis artificiis nisi minimum quendam sensum eumque ~~xxx~~ certum non querit, exegeta omnia colligit quae ex diversis thematizationibus concluduntur, ~~phantasmata~~ et plenum et accuratissime distinctum sensum uniuscuiusque loci vult.

Ubi dogmaticus ad nudum fere factum evolventis apprehensionis attendit, ut illud determinet quod tam alte in fontibus reponatur ut potius datum explicandum quam explicatio vel amplianda vel corrigenda considerari debeat, exegeta genesis notionis vel apprehensionis quasi ultimum quemdam et supremum fructum attingit qui in toto suo praevio labore circa singula loca fundatur et quasi sponte sua ex iis locis exsurgit.

Dogmaticus uero scr. : exulta :: indicans quid certi in chemia : investigans, perpicuum chemiam.

d" Differentiae decursu temporum ortae.

Consideravimus processum e fide in theologiam, tum in casu particulari et recentissimo, tum modo generaliori secundum tria elementa, nempe, contextus, thematizationis, et usus scripturae.

At haec tria non semper eodem modo fiebant, et ideo nunc eadem considerare debemus prout decursu temporum factus est processus differentiationis et integrationis.

a) Circa contextum quantum distinguimus tempora, patristicum, mediaevale, theologiam modernam, et theologiam recentem.

In aetate patristica per concilia trinitaria et christologica et per condemnationes Pelagianorum evolutus est contextus dogmaticus, qui tamen ut contextus distinctus a biblico vel apostolico latebat.

E.g., Athanasius minime susicatus est c. Nicaenum fundamentum possuisse unde totus contextus dogmaticus esset surrecturus; concessit formulas fidei verbis scripturisticis exponi debere; nisi unam exceptionem, homoousion, propter necessitatem ex Arianis ortam non defendebat. C. Chalcedonense minime suspicatum est se vocem, physis, eo sensu adhibere qui radicaliter differret a sensu eiusdem vocis oritur apud Patres (Athan., Basil., Nyss., Cyr. Alex.) adhibebatur; nisi saeculo subsequenti non est perspecta necessitas distinguendi inter naturam enupostaton et anupostatom, et quidem propter decretum Chalcedonense.

Medio aevo technica quaestions universaliter applicata sponte sua ad libros sententiarum et ad summas conducebat. Ipsae summae, cum nihil efficierent, nisi sistema quoddam notionum adinvenirent, ad systemata excogitanda et ~~et~~ quidem ad praeformatum et Aristotelicum adaptandum cognebantur.

Ita est ortus contextus non solum dogmaticus sed etiam theologicus, qui tamen in propria sua ratione parum perspiciebatur. Acerrime disputatum est sub fine saec. XIII inter Aristotelicos et Augustinianos. Sed vera quaestio erat de legitimitate contextus theologici et systematici. Minor et subordinata omnino erat quaestio utrum sistema e Patre ecclesiae, Augustino, an e pagano Aristotele hauriri oporteret.

*et proprius
Monachum,
debet libertas
suntio negotiis,
processu negotiis
ad aerarium*

Ortis et distinctis scholis theologicis (Thomistica, Scotistica, Nominalium) manifesta erat differentia inter contextum theologicum disputationibus plenum et simplicem planumque sensum scripturae. Impugnabatur scholasticismus tum variis intentionis renascentiae tum ab aliis haereticis et maxime a Protestantibus. Conciliationem quamdam inter scholasticismum et nova studia quaerebat Melchior Cano, De locis theologicis.

A. Lang, Die Loci theologici des Melchior Cano und die Methode des dogmatischen Beweises, München 1925.

M. J. Congar, art. Théologie, DTC XV(29), 421 s.

A. Gardeil, Lieux théologiques, DTC IX(17), 712-747.

E. Marcotte, La nature de la théologie d'après Melchior Cano, Ottawa, Edit. de l'Univ., 1949. Bibl.

J. M. Levasseur, Le lieu théologique, "histoire," Trois-Rivières 1960 dissertation. Angelicum.

Quae tamen tempora haud propitia erant ut inter catholicos inveniretur distinctio inter contextum biblicum et contextum dogmatico-theologicum, tum propter suspicionem haereseos protestanticae quā inter verbum Dei et adinventiones humanas et scholasticas polemice distinguebat, tum propter classicismum qui ad idealia, exemplaria, normativa, praecelta, leges, universalia magis attendit quam ad differentias contingentes et temporales, tum propter conceptualismum quedam qui conceptus dogmaticos et theologicos implicite in conceptibus scripturisticis inveniendos ab arbitrabatur.

Recentius autem classicismo derelicto et renovatis studiis philosophicis conscientia historica repanditur et ab Ecclesia per "Deus scientiarum Dominus" et "Divina afflante Spiritu" in theologiam et in studia biblica debitum cum cautelis introducta est.

Exegesis desinit scripturas per notiones dogmaticas et theologicas exponere. Theologia biblica florere incepit. Dogmatici naturam propriae methodi clarius perspiciunt. Differentatio iam pridem facta nunc agnita est, et ponitur potius quaestio circa integrationem.

b) Thematizatio dogmatico-theologica verbum Dei assumit ut verum.

Verbum Dei, evangelii, gratiae, etc., ut praedicandum et audiendum, saepe recurrit in NT. Cf. Concordantiam s.v. logos; TWNT legō, akouō.

Ipsum factum praedicationis et auditus est centrum nascentis et crescentis ecclesiae, quae per oecumenen diffusa unitatem doctrinae ex unitate originis apostolicae retinuit. Quod multis et diversis factis illustratur: kerygma, didache, catechumeni, baptismus, liturgia, episcopatus, traditio, martyres, formatio canonis, symbolum dictum apostolicum, concilia localia, apologetae.

Sicut inter Hebraeos ad ipsum sensum Legis pertinebat ut observaretur, ita inter fideles ad ipsum sensum verbi Dei pertinebat ut ei crederetur, non contradiceretur. Fides ex auditu.

Qui sensus concretus modo practico in thema assumitur per formulam dogmaticam, Si quis dixerit... anathema sit.

Cui sensui concreto accedit extensio ex ipsis scripturis, tum practica et moralis circa modum fructuose suscipiendi verbum Dei, tum etiam in theoriam tendens circa veritatem, imo Veritatem, quae per evangelium communicatur.

Thematizatio dogmatico-theologica novam specializationem accepit inde a Sic et Non Abaelardi qui auctoritates citavit in utrasque contradictionis partes circa plus centum quinquaginta propositiones.

Unde quaestiones: Videtur quod non.. Sed contra est.. Respondeo.. Ad primum.. Ad ea quae in contrarium.. Cf Congar, DTC XV(29), 370-73

quingenti

ui

Unde duplex motus: alius ad auctoritates colligendas et ordinandas, Libri sententiarum; alius ad distinctiones systematicae evolvendas, Summae. Quorum hic longe maiorem attentionem et laborem accepit, ut fere ~~summam~~ sunt commentarii in Sententias Lombardi. Ultimus commentarios in Lombardum composuit Estius (publici iuris factos anno 1616, tres annos post eius mortem). Scripserat Lombardus c. 1150.

Quo motu scholastico in thema assumitur verbum Dei praecise ut verum, et eo quidem modo ut ad cohaerentiam, contradictionis exclusionem, maxime attenderetur. Ubi huic thematizationi accedit extrinsecismus, ut ad verum attenderetur quod in nulla mente est, iam ad inauthentiam, decadentiam, perventum est. E contra, ubi extrinsecismus per immanentismum corrigitur, ibi tollitur ipsa thematizatio dogmatico-theologica. Haec inter extrema procedit qui verum in mente, et quidem in iudicio, invenit et quidem sub duplice aspectu (1) conversionis intellectualis per quam homo non sensu, sentimento, fictis intuitionibus, sed vero se submittit et (2) medii in quo, sicut apprehenditur ens, ita etiam fit occursum cum Deo sese manifestante.

Incompletam esse hanc thematizationem verbi ut veri suadent multiplicatae divisiones theologiae. Cf. Congar, DTC XV(29), 423 ss. "Très tot, le travail théologique perd son unité et se morcelle en spécialités." col 423.

Theologiae scholasticae accessit theologia quae dicebatur mystica, spiritualis, ascetica, affectiva. Influxerunt opera SS. Ignatii de Loyola, Ioannis a Cruce, Francisci de Sales. Nominantur L. Bail, Contenson, Massoulié, Chardon. Secundum P. Congar: "C'est une théologie dont le 'lieu théologique' finalement décisif est l'expérience des 'âmes saintes', et non la pure vérité révélée, objectivement contenue dans les livres théologiques classiques." col. 424.

Theologiae dogmaticae accessit theologia moralis, quae elementum morale e theologia scholastica sibi assumpsit et periculum induxit subalternandi hanc doctrinam moralem philosophiae morali et principiis iuris, col. 426.

Theologiae scholasticae accessit theologia positiva, quae primo intelligebatur theologia PP., uti Augustini, Hieronymi, Gregorii, et potius modum reflectionis theologiae litterarium respiciebat, quae brevi etiam ad deiendendam continuitatem historicam doctrinae catholicae contra hereticos dirigebatur. Col. 426-430.

A theologia positiva differt apologetica, quae non fidem sed rationem supponit, neque dogma in fontes revelatos reducit, sed de valore ipsius revelationis et dogmatum quaerit. Quatenus haec apologetica aestimatur fundamentum totius theologiae, nominatur fundamentalis; quae tamen est opinio varie concepta et disputata, col. 431. ~~Re vera, apologetica fundat non veritatem mysticorum sed rationalitatem credendi.~~

Recentius accesserunt theologia biblica, patristica, liturgica, pastoralis, missionaria, kerygmatica.

Quae omnes eo tendunt ut verbum Dei non tantum sistatur in mundo intelligibili ante subiectum theoreticum sed etiam pro subiectis dramatico-practicis vel vitae interiori deditis locum in mundo aspectabili vel interiori inveniat.

c) De usu fontium, praecipue scripturarum, differentiae.

Non agitur de historia exegeseos (cf. R. Schnackenburg, alii, art. Exegese, IThK 3, 1273-1293) sed de momentis novis praecipuis circa usum scripturarum in fines theologicos.

Magisterium: 2 Pet 1, 20: hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturas propria interpretatione non fit.

Symbolismus: tendentia Iudaeo-christiana (Daniélou) et Gnostica contra quam invocat Irenaeus ~~et~~ traditionem apostolicam in omnibus ecclesiis servatam, Clemens Alex docet (a) symbola ad litteram non esse sumenda (Strom. V) et (b) methodum definiendi, definiti existentia determinandi, etc. (Strom VIII)

Dogmatismus: homocousion, eadem de Filio quae de Patre dicuntur; una Christi persona, voces apostolicas et evangelicas non dividendas inter duas personas, subsistentias, DB 116

oppositio ad realismum nativum Tertulliani, Platonismum Origenis

~~Sicut ex opere Gratiani, Concordia discordantium canonum processerunt studia iuridica, ita et Abaelardi, Sic et Non, processerunt technica quaestio[n]is, Libri Sententiarum, Summae Distinguebantur Magistralia et Authentica (M D Chenu, Introduction à l'étude de S. Thomas d'Aquin, Montréal-Paris 1950, pp. 106-132) sed dimensio temporis, perspectiva historica, parum perspiciebatur. Accessit theoria aristotelica de scientia: principia divinitus accepta sunt articuli fidei apud S. Thomam; apud Melchiorum Cano scripturae faciunt unum de locis theologicis~~

~~Unde membrum communia ambitionis etiam in opere patet~~

Cohaerentiae exigentia: Gratianus, Concordia discordantium canonum; Abaelardus, Sic et Non; technica quaestio[n]is; libri sententiarum; summae.

M D Chenu, Introduction à l'étude de S. Thomas d'Aquin, Paris-Montréal 1950, pp. 106-132.

C. Spicq, Esquisse d'une histoire de l'exégèse au Moyen Age, Paris 1944.

Theoriae de theologia ut scientia, in obliquo determinaverunt usum scripturae, conceptum probabilitatis theologicae

Conscientiae historicae opponebantur: simultaneitas logica disputationis; indifferentia classica erga temporalia et contingentia; theoria conceptualistica scientiae quae conceptus dogmaticos et theologicos in ipsis verbis scripturisticis implicite contentos voluit.

I Theologia positiva et systematica

a) Cumulative per repetitos transitus ex fide in theologiam
ortus est contextus dogmatico-theologicus:

qui in scholis theologicis docetur et addiscitur; unde inter
catholicos supponitur et assumitur; inter eos est selbstverständlich

qui constituit semper "relicnum" quod sensum determinat eius
quod hic et nunc a catholico dicitur;
unde "secundum analogiam fidei" Rom 12, 6; DB 2146
sensus ecclesiae, sensus fidelium
eo sensu quo definitum est, DB 2314; quo sensu? eo qui ab omnibus
catholicis intelligitur
consulat probatos auctores

qui ab haereticis praetermittitur; qui enim haeretico falluntur
spiritu, non falsum prorsus dicunt sed verum quoddam, ita tamen ut
alia et non omittenda omittant;

cuius praehistoria, cuius materia in thema assumpta, cuius
suppositum est verbum Dei scriptum et traditum; quod verbum reicere
est nefas, unde dogmata, "si quis dixerit... anathema sit";

cuius formatio a PP effecta est occasionaliter, cuius explicatio
a Scholasticis exquisita est systematica, cuius derivatio historica
a modernis investigatur, cuius veritas a fidelibus creditur;

cuius fontes nunquam exhauiuntur, DB 2314, et ideo semper
orandum et optandum est in ecclesia augmentum intelligentiae,
scientiae, sapientiae, DB 1800.

b) Videri potest investigatio eiusmodi contextus pertinere ad
sociologiam cognitionis.

iss

Max Scheler, Die Wissensformen und die Gesellschaft, GW 8,
Bern und München, Franke Verlag 1960.

Idem, Schriften zur Soziologie und Weltanschauungslehre, GW 6.

Karl Mannheim, Ideology and Utopia, London 1936, 71954; Bibliogr.

Werner Stark, The Sociology of Knowledge, Glencoe Ill. 1958

Robert Merton, Social Theory and Social Structure, Glencoe Ill 1957.

Plenior huius rei consideratio pertinet ad alteram problematicam.
Brevissime: eo magis valet sociologia cognitionis, quo minus
homines pro se ipsis, suo marte, inquirunt, intelligunt, iudicant.
Fundamentum cognitionis socialis est in transcendentia veri;
nam quia verum dicit inconditionatum, a subiecto independens,
(a) idem verum a pluribus cognosci potest
(b) idem verum ab aliis cognosci et ab aliis credi potest
(c) idem verum ex alio in alium contextum transferri potest.

c) Contextus ergo dogmatico-theologicus considerari potest duplicitur;
 a || und modo secundum originem, unde "theologia positiva"¹;
 || alio modo secundum finem, scilicet, ut augentur intelligentia,
 || scientia, sapientia circa doctrinam fidei, unde "theologia systematica".

d) Theologia positiva duas praepipue ponit quaestiones: primo,
 circa criterion continuitatis; deinde, circa ordinem considerationis.
 a' Circa criterion continuitatis.

In documentis ecclesiae saepe legitur illud, "semper tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia..."

Secundum Pium XII, suosque praedecessores, legitur et nobilissimum munus theologi est ut ostendatur quemadmodum doctrina definita in fontibus contineatur, et quidem eo sensu quo definitum est, DB 2314.

Quaestio de criterio continuitatis est quemadmodum sciatur, quemadmodum procedatur, ut elaceat doctrinam definitam esse eo sensu quo revelata est.

Cuius quaestio alia est solutio dogmatica et alia solutio theologica, et quidem theologiae positivae.

Solutio dogmatica notissima est: Spiritum sanctum ita assistere docenti ecclesiae ut in rebus fidei et morum doctrina definita sit infallibilis.

Solutio tamen theologica etiam requiritur, secundum illud supra citatum ex Pio XII.

b' Criterion continuitatis in theologia positiva.

In eo est quod historia doctrinae ad doctrinam terminatur.

Quod assertum quid dicere velit perpendendum est.

Iam vidimus transitum ex fide in theologiam esse per modum thematizationis.

Iam vero per se thematizatio neque mutat rem cognitam neque mutat rei cognitionem sed cognitione rei utitur ut per aliam technicam eadem res plenius cognoscatur. Recole exempla iam data, medici, iudicis, cognitionis subjecti psychologici.

Attamen per accidens thematizatio in errorem conducere potest, nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Qui tamen modi investigari possunt: in genere sunt horizontes; in specie, horizon recipientis receptionem veram impedit quatenus adest inauthentia, quatenus deest conversio vel intellectualis, vel moralis, vel religiosa.

Quibus positis, habetur criterion continuitatis.

Datur enim continuitas ubi constat thematizationem fuisse per se, fuisse receptionem quae per modum subjecti non corrumpebatur.

Non datur continuitas ubi constat thematizationem fuisse per accidens, fuisse receptionem quae per modum subjecti corrumpebatur.

Quod criterion secundum utrumque suum aspectum ipsi historiae doctrinali applicari potest.

Unde ex ipsis factis exsurget alios auctores evidenter per accidens processisse, alios autem per se.

Unde historia doctrinae ad ipsam doctrinam terminatur, scilicet quatenus doctrinarum oppositiones et successiones manifestant processum geneticum et dialecticum, in ipsis factis invenitur norma quaedam seu criterion.

c' Applicatio huius criterii ~~qua~~ illustratur, sane imperfecte, in iis quae de ~~qua~~ structura motus antenicaeni collegi:

Quis Christus? Respondeatur symbolice a Iudeo-christianis et a Gnosticis. Respondeatur secundum realismum nativum a Tertulliano. Respondeatur secundum placita platonismi medii ab Origene. Respondeatur rationalistice ab Arianis. Respondeatur dogmatice ab Athanasio et subsequenti ecclesia, quo in responde continetur realismus dogmaticus qui tum puro symbolismo tum realismo nativo tum platonismo tum rationalismo opponitur.

An unus sit Christus? Apollinaristae, Diodorus et Theodorus, Nestorium, Cyrillus, Orientales, Leo Magnus, etc.

DB 2318: deploratur perversio notionis satisfactionis. Quaenam sit notio non perversa: cf. investigatio, De Verbo Incarnato, pp. 447-486; ex historia doctrinae ad doctrinam proceditur.

d' Unde quodammodo elucet distinction inter theologiam dogmaticam positivam et theologias magis specializatas, uti biblicam, patristicam, mediaevalem, recentiorem.

Exempla *hinc*
secundum
Exemplo sit transofrmatio axium, coordinatorum: Glenn, Carpenter, primo secundum axes fixas in superficie terrae; deinde secundum axes fixas in centro telluris; tertio, si ad lunam pergetur, secundum axes fixas in aliter in centro telluris, vel etiam in centro solis.

Theologia positiva dogmatica praecipue occupatur circa ipsas transformationes ~~et~~ ex alio in aliud contextum; theologiae positivae et specializatae praecipue occupantur circa ipsos contextus particulares.

e' Theoria generalis, cf. Insight, cap. XVII, de veritate interpretationi

f' Deinde quaerendum erat de ordine quo quaestiones investigantur; scilicet, de quo primo quaerentudm sit utrum criteriis continuitatis satisficiat; de quo deinde, de quo tertio, etc.

In cuius intelligentiam duo ordines distingui debent: *alius* enim est ordo magis chronologicus, et *alius* magis logicus.

Ordo chronologicus considerat elementa contextus dogmatico-theologici ea consecutione seu serie in qua chronologicce facta sunt explicata, signata.

Ordo logicus in actuali contextu dogmatico-theologico distinguit inter ea quae sunt magis fundamentalia et ea quae ex fundamentalibus vel derivantur vel alio modo dependent.

Qui duo ordines quodammodo conflantur ubi quaestio ponitur de genesi categoriarum theologicarum.

Sunt enim in contextu theologico-dogmatico notiones quaedam et fundamentales et propriae, quae pedetentim in ecclesia factae sunt explicatae, quae deinceps influxum quemdam omnino fundamentalem in reliquas notiones exercuerunt. Quae notiones nominari possunt categoriae theologicae.

g' De genesi categoriarum.

Distinguendum est inter categorias iam explicitas et alia ex parte categorias quae quamvis usurpenatur tamen ad accuratam quandam explicitationem nondum pervenerunt.

Categoriae iam pridem explicitae:
 homoousion: quod enim de tua gloria revelante te credimus hoc de Filio...
 unde tres hypostaseis, una ousia; tres personae, una substantia;
 unde relationes, processiones, etc.
 Una persona: DB 116 apostolicae et evangelicae voces non duobus assignantur
 unde duas naturas post unionem, duas naturales proprietates, etc.
 supernaturale: secundum applicationes ad gratiam, ad aconomiam
 salutis, ad methodum theologiae.

Categoriae plus minus implicitae: habetur aliqua thematizatio,
 sed vix ad totam rei plenitudinem concipiendam sufficit.
 personale Subiectum, interioritas, religio, symbolum, sociale, historicum,
 verbum Dei, evolutio, differentatio, integratio, continuitas;
 brevi, omnia quae respiciunt particularia, contingentia, mobilia,
 concreta, etc., quae ad alteram problematicam remisimus.

Circa has categorias notate eas esse quam maxime in usu:
 nihil magis est historicum quam ecclesia catholica, quae quasi
 monolithica per duo millennia lux elevata in gentibus
 iam existit;
 nullatenus habent catholici problema historicum quale habent
 protestantes vel liberales, qui vel totam vel maiorem partem
 historiae christiana per modum aberrationis interpretari debent;
 et tamen ante hoc nostrum saeculum categoriae historicae
 vix in scholis theologicis et catholicis serio sunt consideratae;
 eg Journet, Introduction à la théologie, locutus est de necessitate
 categoriis addendi dimensionem temporis ~~exprimere~~ S. Thomae, [Paris 1947];
 neque imaginari debet hanc necessitatem vel ab omnibus esse
 agnitam vel ab omnibus agnoscentibus authentice intelligi; non
 pauci sunt qui differntiam inter conscientiam historicam et
 relativismum perspicere non valeant, qui hanc suam incapacitatem
 sea horizontem vel ipsam regulam fidei esse arbitrentur.

(1)

Problema ergo in eo est quod praeter genesin categoriarum iam
 pridem generatarum habetur etiam genesis categoriarum quae nostris
 temporibus incipitur et (2) haec categoriae nunc in fieri quodammodo
 esse sunt magis fundamentales quam categoriae iam generatae.

Vg homoousion, una persona in Christo, fundamentum in verbo
 Dei; verbum Dei est locutio Dei intra contextum humanum historicoo-
 socialem atque religiosum.

h' Theologia systematica.

Est quae quaerit finem contextus dogmatico-theologici, qui quidem
 finis est illa intelligentia imperfecta et fructuosa missima mysteriorum
 in Vaticano laudata, DB 1796, 1800.

Ubi in primis desideratur methodus critica, unde systematice,
 methodice, eliminantur opiniones et disputationes quae ex
 inauthentia et horizonte et defectu conversionis opinantium et
 disputantium oriuntur.

modo

Quod primum desideratum quam maxime intimo cohaeret cum iis quae diximus circa criterion continuitatis: quod enim in positiva ad alios et antiquos applicatur, in systematica ad ipsum theologum applicandus est.

At deinde desideratur analogias repeti secundum Vaticanum, DB 1796, ex iis quae naturaliter cognoscuntur.

Non pauci videntur theologi erubescere si ex ipsa cognitione naturali procedunt ut fundamentum analogiarum ponant solidum et verum. Ita nuperrime de conscientia Christi disputatum est, et humillimo meo iudicio ideo praecipue quod theologi ad munus mere philosophicum, mere psychologicum, attentionem dare noluerint. Ipsi sunt theologi; quid sit conscientia, nihil refert.